



Anat. 1308.

Anat. A. 203

PÆONIS ET PYTHAGORÆ
EXERCITATIONES
ANATOMICÆ ET MEDICÆ
FAMILIARES
BIS L.

*Hecatombe, non Hecatæ, sed illustri
Academia Naturæ curiosorum
Sacra.*



B A S I L E A E,
Prostat apud EMANUEL KÖNIG
& FIL.

Typis JACOBI BERTSCHII,
M. DC. LXXXII.

Medicin: ~~1304~~ 1304 1308

EXERCITII
ANNO 1687



ANNO 1687
KONIG

ANNO 1687



ILLUSTRI
NATURÆ CURIOSORUM
ACADEMIÆ CÆSAREÆ
EJUSDEMQUE
AUTORIBUS ET CONSERVATORIB.
DEO OPTIMO MAXIMO
IMPERATORI
PRÆSIDI
ADJUNCTIS
SOCIIS ATQ. COLLEGIS
FAUTORIBUS
UNIVERSIS AC SINGULIS
S.

VOBIS



VOBIS

O. NOMINA ET LUMINA
SPLENDIDA ÆQUE AC SACRA

EN

EXERCITATIONES HAS FAMILIARES
ANATOMICAS ET MEDICAS

ERECTO

AD REDDENDAM OTII RATIONEM

FIDEI ET GRATÆ MENTIS,

MONUMENTO

TANQUAM HECATOMBEN

IMMOLANT

SEQUE PRÆTEREA TOTOS

EA QUA PAR EST ANIMI SUBMISSIONE

DICANT CONSECRANT

ARTIS ET NATURÆ CURIOSI BINI

PÆON ET PYTHAGORAS

AN. CHRISTI

M. DC. LXXXII.

Ad



Ad æquanimos Lectores

P R Æ F A T I O.



*V*arii varie tractant curiosa varia. Nobis Exercitationes familiares Anatomicas & Medicas bis quinquaginta hic edere animus est, non minus utiles quam curiosas lectu futuras Medicinæ ac Anatomie cultoribus. Facimus autem istud non vana scribendi libidine commoti, sed æquissimis ducti rationibus, cum ut officio ipsi nostro pro virili parte fungeremur, tum ut quantum in nobis est iuvaremus ac oblectaremus alios. Etenim auspicato nuper ad illustrem Sacri Rom. Imp. Academiæ naturæ Curiosorum Societatem promotis, atque splendido agnomine condecoratis, ea nobis sors obtingit ac existimatio, ut aliquid esse studia nostra putentur. Quamobrem cum nefas duca-
mus deinceps otiari, ne pristinorum quoque laborum fructu careamus ipsi aut destituantur cæteri, operam hercule quantamcunque dare tenemur, & damus utiq; ad reddendam otii præteriti rationem editis Exercitationibus istis epistolarum forma, qua diversis temporibus & locis paulatim coaluerant. Negant quidem alii divulganda ea esse, quæ amicus ad amicum scrip-
titat:

PRÆFATIO.

ptitat: at nos privatis exercitiis utilitatem præfigentes publicam, licere arbitramur viris bonis & Philosophis, ut quæsitam inventamque veritatem pro lubitu quacungq; ratione proferant in medium. Fidei pol articulos & mysteria maxima epistolis quondam tradiderunt Apostoli; quis ergo hodie divulgandis artis & nature miraculis eandem adhibentes methodum culpabit sapientes medicos? Familiari sane ac amico istiusmodi colloquio multiplex admodum gratia est & virtus, ad eliciendum verum placendumq; admirabilis. Nec enim coctam crambem hic ad nauseam recoquimus, sed grata rerum ac sententiarum passim variat luxuries & novitas, respondens veritati antiquissima. Non dubitamus inde, Lector optime, quin salivam ista tibi moveant, & palato tuo perinde suaviter arrideant atq; placent celebrium virorum curiosa scripta alia. Quod si edulia ista haut spreveris ne fastidieris, queis genium tuum more nostro pascere decrevimus, hospes eris omnium gratissimus, & dignus cui bellaria tandem præparemus oppido lautissima. Hoc vovet, grate Lector, cupit, aget Pæon & Pythagoras, qui Basilea nuper ora juncti cominus, dum sibi invicem ruminarentur plurima, typis dicarunt pellectas denuo epistolas, persuasi otiosas quasdam horulas non collocari potuisse melius.

INDEX



INDEX RERUM NOTATU DIGNIORUM.

A.

- A**cidum in renibus in statu sanitatis nequit esse. 12.
Acus cordi vaccae infixus. 147.
Adenographia desiderata. 176.
Adolescens tumore insolito inter cubitum, & carpum ve-
xatus. 43.
Alexandri Tralliani illustrati à F. J. Hardero specimen. 239.
Alopecia. 240. 241. seqq.
Amnii liquor quid sit? 222.
Amurca rectene vocetur, glandularum atrabiliariarum suc-
cus? 7. 12.
Anima brutorum. 129. quid sit? 133. 251.
Animalia, an è plantis generari possint? 138.
Animalium generatio ex Ovo. Vide Generatio.
Aorta humana, 211. in ea ossicula. 211.
Aprunculi partes genitales. 154.
Aqua pericardii, vide Humor pericardii.
Avium corpora minùs composita quàm terrestrium anima-
lium, 91. Urina. 157.

B.

- Bilis, an solâ colatione ex sanguine prodeat, citra præviã*
fermentationem? 39. 40. 41, an in hepate nascatur? 40.
& quomodo? 41.
Bruta, quedam etiam erecto vultum coelum intuentur. 91.
an machinæ dici possint, vel automata? 126. an sensu pol-
leant? 126. 127. 133. 251. an animâ prædita sint. 129. 133.
Bufones in ventribus hominum geniti. 56.

C.

- Cadaverum dissectiones Medicis utiles cumprimis, & ne-*
cessaria. 4.
Calculi materia & generationis modus, res obscura & ex-
plicatu difficilis. 9. varia de eo sententiæ. 2. 3. 5.
Cal-

INDEX

<i>Calculi renum.</i>	136.137.
<i>Calculus tricuspis in sinistro rene pueri, 2. ejus causa.</i>	2.4.
<i>Calculus tricuspis ex priapo pueri tredecennis extractus.</i>	114.
<i>Calculus in cerebro gallinae.</i>	146.147.
<i>Capillorum color unde?</i>	246.
<i>Catus Zibethi. 89. dissectus. ibid.</i>	
<i>Cerasorum nuclei cum lotio redditi.</i>	147.
<i>Chlorosis, affectus muliebris, num ex fermento uterino sit.</i>	30.
<i>Ciconia.</i>	207.212.
<i>Cicuta terrestris.</i>	163.
<i>Circumforaneus Ignivomus.</i>	68.69.71.
<i>Coagulatio partium, an causa calculi? 3. Unde fiat? ib.</i>	
<i>Cochlea. 115.116.118.119.120. Mirand. structura. 87. An ruminet? 88. An sanguinem habeat? 119.120. Oculi ejus in cornibus positi. 120. illorum cornuum mirus motus unde? 121. Sexus dubius. 123.170. de muco ejus & Ovis. 137.138.139. ejus foecunditas. 207. Cerebrum. 209. 211. genitalia. 209. Usus culinaris, & Medicus. 210.212.</i>	
<i>Cæca scribens.</i>	166.169.
<i>Colchici semina comesta lethalia infantibus quibusd.</i>	277.
<i>Conceptio, an fieri possit sine retentione seminis virilis?</i>	103.
<i>Conchyliæ.</i>	157.158.
<i>Convulsiones admirandæ.</i>	1.166.
<i>Cor vastæ magnitudinis.</i>	130.133.
<i>Cordis hydrops. Vide Hydrops.</i>	
<i>Cordis motus, an sit violentus? 67. ejus causa.</i>	236.
<i>Cordis structura. 238. resuscitatio.</i>	236.
<i>Corpus humanum, an sit machina?</i>	169.
<i>Cotyledones, mulieres an habeant?</i>	169.
<i>Cranii suturarum hiatus.</i>	205.
<i>Cuniculi, an verè ruminent?</i>	73.82.83.
D.	
<i>Dysenteria. 62. lethalis. ibid. ejus causa. 64. in sene curata.</i>	
E.	
<i>Embryones, an nutriantur sanguine materno?</i>	35.
	Equo

R E R U M.

- Equæ ventriculus.* 152. *Vermibus scatens.* 152.
Erinaceus pericardio destituitur. 16.
Eruditorum in Helvetia Societas exoptata. 249. 252.
Eva, an in ejus ovario totum humanum genus delituerit?
 93. 96. 100. 106. 107.
*Excessus frigoris, & caloris in renibus, an calculi author
 statui possit?* 11.

F.

- Fascinum, 50. an illi quæ in tumore adolescentis Basil. mi-
 ra reperta adscribi debeant?* 50. 53. 54. 55. *Multa fasci-
 nis annumerantur perperam, quæ à natura originem ha-
 buerunt.* 55. 56.
Felis pullus abortivus. 203.
Felis Zibethi. Vid. Catus.
Fermentationis doctrina, quid de illa sentiendum? 25. *magni
 usûs.* 40.
Fermentum, an calculi causa rectè statuatur? 11. *an in Vi-
 ri testibus aliquod sit?* 34.
Fermentum Cardiacum, num detur. 27. 32.
Fermentum hepaticum. 39.
Fermentum renale. 2. an calculi causa? 3. 4. 11. *generatur
 in ipsis renibus?* 4. *an secundùm naturam sit acidum?* 4. 5.
Fermentum in ventriculo & intestinis certum. 37.
Fermentum Uteri, an reperiatur in brutis? 23. *explicatu
 difficile. 24. an utero Virginum, & mulierum non præ-
 gnantium insit?* 25. 27. *seqq. An sit causa sanguinis men-
 strui. 25. 26. à multis Medicis defenditur. 27. Multorum
 morborum uterinorum in mulieribus causa. 27. ejus Na-
 tura. 31. An mutationum causa sit in Virginibus pube-
 scentibus?* 33. 34.
Fœcundatio Ovi muliebris quomodo fiat? 102. 109. *seqq.*
Fœcunditas omnis fœmellarum à maribus. 95.
Fœminæ, præter ovum ad generationem nihil conferunt. 98.
Vide Mulieres. Item Uxores.

G. Gal-

INDEX

G.

- Gallina*, in ear. cerebro lapillus. 146. earum ingluvies. 139.
Gallina calculosa. 274. Rene sinistro carens. 274. 276.
Generatio animalium ex ovo. 72. 78. 91. seqq. De illa, sententia *Svvañmerdamii* refutata. 92. seqq. Item 104. seqq.
An ab uno parente fieri possit? 107. seqq.
Generatio hominis ex Ovo. 77. 92. 93. 94. 95. 96. & seqq.
Item 106. & seqq. ejus continuatio à Svvañmerdamio negata. 93. 96. 106. 107.
Generationis Calculi modus explicatu difficilis. 9. duplex
statuitur. 10. & explicatur. 11.
Genitales partes. 148. 150. *Aprunculi*. 154. *porcelli Indici*. 160.
bystricum. 148. *lacertarum*. 163.
Glandula cardiaca. 114. 116. 117.
Glandula hepatis, bilis officina. 41.
Glandula Intestinorum. 130. 133. 135. 137. 177. 178. 174. 175.
earum præstantia. 175. 176. *Reperta in vulpe*. 179. in *Cuniculis Brasiliensibus*. 179. In foetibus vitulinis. 180. in puello rustico. 180. in *Ciconia*. 207. 212. in puero Epileptico. 213. in *Cane*. 216. in *Tardâ, ave*. 217. in *lacer-tis*. 162. *An chylo colando destinata?* 182. 187.
Glandula in Mammis. 43. *lactis cause*. 46.
Glandula in podice animalium, & uropygio avium. 149. 151.
Glandulae in renibus. 7. 11. 12. ear. usus, ibid.
Glandulae Uterinae, Num differant à coyledonibus? 21. *an pro sanguine menstruo ex illis concludi possit?* 21. *illis num destituatur Uterus muliebris?* 22. 23. *reperta in rupicapra*. 20.
Glandularum scirrhi in hydropica. 266.
Graviditas diuturna. 79. 134.
Gryllotalpæ ventriculus. 163.

H.

- Hepar, an bilis officina?* 40. 41. *extraordinariae magnitudinis*. 76. 78.
Hirundines, In ventriculo ear. lapilli. 157.
) (5
Histo-

R E R U M.

- Historia pueri tabidi, & nephritici.* 1. *Adolescentis tumor*
insolito inter cubitum, & carpum vexati. 43. *Pueri hy-*
dropico-phthisici. 48. 56. 57. *Senis stranguriâ laborantis.* 62.
Puerperæ dissectæ. 76. *Pueri undecennis dissecti.* 85. *Pue-*
ri, ex quo calculus extractus. 114. *partus monstrosi.* 125.
hydropici. 136. *Equæ dissectæ.* 152. *Fœminæ mixis convul-*
sionibus vexata. 166. *Puella 18. annor., veneno enecata,*
dissectæ. 228. *puellæ hydropicæ dissectæ.* 266.
- Homo, an juxta omnes sui partes in Ovario fœminæ à pri-*
ma Creatione jam delituerit? juxta sententiam Svvam-
merdammi? 93. 104. 107.
- Hominis generatio ex Ovo. Vid. Generatio.*
- Humor pericardii, nondum satis explicatus.* 13. *Sententia de*
eo exposita. 14. *quis ejus usus, docetur.* 14. 18. *in corpori-*
bus cacochymis deficere, verisimile habetur. 15. *utrum ma-*
jori quantitate collectus motus aboliti aut imminuti causa
sit? 15. *necessarius esse ostenditur.* 15. 16. *Ortus ejus, &*
natura explicatu difficilis. 16. 17. *Sententiæ quadam Me-*
dicorum expenduntur. 17. *Verisimilior adfertur, & sta-*
bilitur. 17. *Ejus vitiosa exundantia causa hydropis cordis.* 18.
- Hydrops ascites.* 78.
- Hydrops cordis, an ex vaporibus derivanda?* 18. 24. *quæ e-*
jus causa? 18.
- Hyæna odorata.* 89.
- Hystricum genitalia, & capsulæ arrabilarie.* 148.
- I.
- Ileum gangrenosum.* 279.
- Infans extra matricem in cavitate abdominis.* 79.
- Insecta, num ruminent?* 84. 87. *Omnia ex semine, non*
ex putredine. 138.
- Intestinorum glandulæ. Vid. Glandulæ. Nodi in puero.* 85.
pituita. Vid. Pituita.
- L.
- Lac, qua ratione in mammis conficiatur?* 46. *idemne quod*
chylus 47, vel ex eo immediatè eliciatur? 47.
- Lacera*

INDEX

- Lacerta librales.* 162. *earum genitalia.* 163.
Lapilli chelidonii. 157.
Lepores, an verè ruminent? 73. 82. 86. 87. *eorum Sexus.* 146. 147.
Lien duplex in puella. 275. 277. 278. 279.
Limaces, 159. cor habent 159. & renes. 203.
Liquor genitalis, 96. fœminæ eo carent. 96. ejus transfusio. 96. *ex quibus particulis confletur? seu quæ ejus materia?* 96. 108. 109. *Vid. Semen virile.*
Lympha. 141. 142. 143. 144. ejus Vasa an ortum habeant ex glandulis conglobatis? 84. *Lympha pericardii. Vid. Humor peric.*

M.

- Materiae essentia, an in nuda extensione consistat.* 129. 131.
Menstruus sanguis, an pro illo quid concludi possit ex glandulis uterinis? 21. *à brutis non excernitur. 22, 23. an ex fermento uteri derivandus?* 25, 26. *an omnis sit crassus, crudus, fœdus, & corruptus?* 26. 24, 35. *Ejus retentio unde?* 33.
Mercurii intempestivè usurpati noxii effectus. 193, 194.
Methodus historiar. Anatomicar. D. Peieri. 72.
Microscopium novum. 85. 117.
Mingendi difficultas. 1.
Molarum generatio unde? 259.
Monstrosa puella. 124.
Mors è comestis colchici seminibus. 277.
Motu particularum in semine Virili an fiat fœcundatio ovi muliebris? 102. 109. 110. 111. 112. 123. 124. *an motus hic nonnisi fortuitus sit?* 112. 126.
Mucus intestinorum, 183. Ventriculi, an à Cerebro derivandus? 184. *an aliunde transmittatur?* 185.
Muli, an destituantur organis generationi inservientibus? 156. *an steriles sint?* 159.
Mulier Tolosana, 25. annis gravida. 79. 134.
Mulieres, in congressu an semen emittant? 97. *earum prostate.*

stata.

Vide Foemina, item Uxores.

N.

Nervosi generis consensus

62,64.

O.

Oculi vitulini in tumore inter cubitum & carpum adolescentis Basil. reperti.

44.54.

Organum auditus piscium.

149.

Oscula lactea.

180.

Ovidis exta. Vid. Tarda.

Ovum, an ex eo omnis foetus? 98. Ova omnia an mundo coëtanea? 91.100.113. an numero sic in prima creatione determinata, ut augeri vel minui nequeant? 100. Eorum augmentum & maturitas unde? 101.109. quomodo in ovario foecundentur. 102.109.110.111.112.123.124.126. Ovi vitulini ductus.

139.

P.

Pancreas, 220. an eo privata animalia vigore minus agili gestus suos peragant? 221. ejus succus an spiritibus animalibus & sanguini originem suam debeat? 222.226. & seqq. Ulni forme in cane.

190.

Partus monstrosus.

124.

Pericardium, ejus defectus in Erinaceo, 16. Pericardii humor, aqua, vel lymphæ, Vid. Humor.

Phtisis, hydropem præcedit, vix unquam subsequitur. 56.57.

Physiologia, hæcenus à nemine medicorum satis accuratè tradita.

65.66.

Pili, ex tumore exempti,

53.

Piscium corpora minus composita, quàm animalium terrestrium. 91. quodnam eorum organum auditus?

149.

Pituita intestinorum. 182.185. an veteribus nota? 183. an excrementum crudum sit? 184. an viventi corpori inhaereat perinde viscida atq; reperitur in extis demortuorum.

214.

Placenta, è foemina moribunda utero extracta

62.64.

Pria-

INDEX

- Priapus prodigiosus.* 166.
- Prostatae muliebres*, 58. 148. 151. magna circa illas dissensio inter veteres & modernos. 58. conficiunt semen sui generis. Ibid. 61. nullum animal illis caret. 59. necessarij usus. 60. Situs & figura variant. 60.
- Puella monstrosa*. 124. *Cæca scribens*. 166. subtilissima fila ducens. 169. rene dextro carens. 190. in causam inquiritur 192. 195. 196. 197. 198. 199. veneno sublata dissecta. 228. 230. 231.
- Puer tabidus & nephriticus*. I. pro hectico à medicis habitus. I. Ejus historia. ibid.
- Puer sine pedibus.* 165.
- Pullus felinus abortivus.* 203.

R.

- Ranae*, in hominum ventribus genitæ. 56.
- Renes*, succenturiati in rupicapra. 5. 6. 59. eorum succus subater, & livescens, gustu subacidus in renibus canis inventus. 3. unde ille fuerit? 16. dextro caret puella quædam sinistrum solito majorem habet. 190. quæ sit ipsius rei, causa disquiritur. 192. 195. & seq. eorum structura, & usus. 196. substantia glandulosa. 197. 198. 199. Gallina rene sinistro carens. 274. 276. *Renum calculi*. Vid. *Calculi*
- Ruminantia*, de illis observationes D. Peieri scriptæ. 73.
- Ruminatio animalium*, perinde fieri potest in simplici ventriculo, ac fit in multiplici. 73. De eâ observationes olim edendæ à Doct. Peiero paratæ. 73. 139.
- Rupicapra*, unõne, an pluribus ventriculis sint instructæ? 73. 76.

S.

- Sal*, in massa sanguinea, calculi causa. 5. 9. 10.
- Salmones*. 268. eor. structura & fabrica partium admirabilis. 268. non ruminant. 269. 271.
- Sanguis*, ejus motus in arteriis, an sit violentus? 67. 68. 70. 71. mensruus sanguis, Vid. *Mensruus*. *Sanguinea massa*

R E R U M.

- massa sale plurimo scatet.* 9.
- Scabies, intempestivè curata.* 190. *Mercurio periculosè pel-*
litur. 193.
- Secundinae, feliciter extracta è foemina moribunda.* *Vid.*
placenta.
- Semen animal, meliùs vocatur liquor genitalis.* 96. 108.
masculino, an acidum insit, & foeminino alkali? 96.
particularum seminis virilis motus, an causa sit foecun-
dationis ovi muliebris? 102. 109. 110. 111. 112. 123. 124.
Vid. Liquor genitalis.
- Sensus, an brutis competat?* *Vid. Bruta.*
- Serpentes, in ventribus hominum geniti.* 56. *Serpenti forme*
vasculum in porcello Indico. 162.
- Societas Eruditorum in Helvetia instituenda.* 249. 252.
- Spiritus, an aliud nihil, quàm substantia cogitans?* 129.
131. 132.
- Spiritus animales, ad secretiones peragendas plurimum tri-*
buunt. 41. 46. *an recipere Idéas dici queant?* 129. 132.
an sentiant. 132.
- Spiritus coagulativus Helmontii.* 35.
- Spiritus lapidificus, an rectè dicatur calculi author?*
- Spiritus plasticus quid sit?* 111.
- Stirps, è corpore humano prognata, & fructicans.* 56.
- Stranguria, Dysenteriae superveniens curata.* 62. *ejus in Sene-*
causa. 64.
- Succus, nervosus acescens, an Coaguli causa?* 6
- Suturarum cranii hiatus.* 205

T.

- Tabidus, & nephriticus pro hectico habitus.* 1.
- Tarda, avis.* 217. *dissecta.* 217. 218. 227. *ejus interanea.*
253. 254.
- Tenesmus ex dysenteria.* 62.
- Testiculi, an etiam in foeminis sint?* 99. *praecipua Veneris se-*
des. 148. 150. *Cur?* 150. *eorum substantia, an sit glan-*
dulosa? 168. 171. 172. 173. *Testiculi vasculosi.* 190.
Thorax

INDEX RERUM.

- Thora major.* 20.22.
Thymus cordis, an ex eo humor pericardii derivandus? 17.19.
Tumor, insolitus inter cubitum & carpum adolescentis Basil. 43. *an ex præstigiis, vel fascino ortus, an ex causis naturalibus? disquiritur.* 50.51. seqq. *Tumor capitis universi.* 206. *Tumores varii, & mirandi.* 53.54.
 V.
Vapores, an causa hydropis cordis statui possint? 18.24.
Vasa lactea. 180. *emulgentia duplicata.* 200.
Venefica Zeuningensis. 228. *de venenis* 232.233.234.
Ventriculi Hircini descriptio. 80.81. *Cuniculi.* 82. *Leporis.* 86. *Cochleæ.* 87. *felis zibethi.* 89. *limacum.* 116. *Gryllotalpa.* 163.
Vermes in ventriculo Equæ vivæ generati. 153.
Vesicæ Urinariæ ruptio funesta. 261.262. *Suppressio.* 262.
Vesiculæ seminales. 150. *porcelli Indici.* 160.161. *hystricum.* 163 *glirium.* *ibid.*
Vir, testibus, & pene truncatus. 148.
Urinæ Incontinentia. 262.
Uropygii glandulæ. 149.151.157.
Uterus glandulis caret. 37. *Uteri succus.* 76.
Uxores, iisdemne ad generandum partibus polleant, quibus Viri? 95. *Vid. Fœminæ. Item Mulieres.*
 Z.
Zibethum, multis molestum. 90. *Zibethi felis. Vid. Catus.*

EMENDANDA.

Pag.6. lin 8. lege primordia. Pag.53.lin.8.rimnandam, l.rimandam. Pag. 93. lin. penult. multiplicatio lege multiplicatius. Pag.132. lin.15. idonei, l. inidonei. Pag.186. lin. 22. insingi, l. insigni, lin.23. ad, l. ab. Pag.201. lin. 27. lege nemini. Pag. 209. lin. 1. lege Medicis. Pag. 222. lin. 11. lege retractaturus. Pag.252.l.6. lege de tarda.

Cætera Lector benevolus ipse corrigat.

EX-



EXERCITATIO I.

De infante tabido & Nephritico.

JOH. CONRADO PEIERO,
JOH. JACOBUS HARDERUS,
S. P. D.



E graviter decubuisse ab aliis audivi, Tibi amicissimis, cum quibus meritò dolebam tam chari capitis languorem: nunc autem cum reconvaluisse Te, idque ex Tuis perceperim, non minori lætitiâ perfundor, tam suavem mihi denuò gratulatus congeronem. Aliquot sunt menses, à quibus Celeberr. V. WEPFERO exhibui historiam pueruli tabido nephritici, qui dum adhuc in vivis erat, hecticus credebatur à Medicis, ex obstructionibus, ut vulgò loquuntur, venarum mesaraicarum & hepatis, partibus utpote chyli *ἀναστόματες* & *ἀλλοιώματες* legitimæ primario destinatis: Misellus hic aliquot ante obitum mensibus, convulsiones octiduatim ferè recurrentes, cum difficultate mingendi maximâ, non sine dolore perpeffus est, à quibus symptomatibus ejus machinula tandem planè destructa fuit: Copiâ mihi factâ cadaver aperiundi, interanea diligenter lustravi,

A

stravi,

stravi, hepar in primis, lienem & mesenterium, quæ præcipuas scenæ partes, ex *illorum* mente constituere debuissent: sed nihil heic p. n. reperire licuit; Glandulæ mesaricæ albicantes & satis molles, nec hepaticæ obstructæ erant, vel lienis cellulæ heterogeneo infarctæ. In sinistro autem Rene calculum tricuspitem, filicis duritiei, membranis exactissimè involutum, ac præ ostio Ureteris jacentem deprehendi, cui si non omnem, saltem præcipuam malorum in misello hoc corpore obortorum causam attribui, quamvis citra humorum temperiem vitiatam fortè non fuerit generatus, quod probârunt ductus Renales materiâ simili undique scatentes: Restitans hic, salia sero copiosè immixta in totum corpus redundare fecit, unde postmodum partium in massâ sanguineâ vitiôsâ agitatione exurgente, feбри pabulum ulterius subministratum fuit, eâdemque materiâ ad articulos & genus nervosum depositâ, ob partium d. ab improporcionato & acri irritationem, spiritus animales impetuosè moti, arthritica & Epileptica symptomata induxerunt. Circa calculi generationem varia à variis ventilari probè nôsti, neque singulorum prolixâ recensitione, ut molestus sim opus est. Fermentum Renale accusabunt, ejus ad feri justam & idoneam percolationem necessitatem qui ingeminant sæpiùs, atque de hoc *Willisium* sect. 10. Pharmaceut. rational. c. 1.

nal. c. 1.

nal, c. i. de Diuresi ingeniosè differere video; cui non contrariabor, modò quale & unde sit, ubi item latitet, distinctè percipere possim. *Helmontius* spiritum quendam vult esse coagulativum, in cuius autem arcana necdum satis penetror: Calculum per *coagulationem*, vel sima vis, partium concretionem generari, in confesso est: quæ autem hujus causa sit, dubium adhuc: aliàs acida, inprimis ubi excefferint, ad coagulationem pariendam aptissima existunt. Unde fermentum in calculosis acidum statuere, aliqui vix metuent, quos confirmare posset, nupera à me, præsentibus pluribus *Φιλιάτρισ* facta observatio in cane, ejus in renibus succenturiatis, deprehendi succum subatrum & livescentem, satis copiosum, qui gustui se præbebat subacidum: An fortè similis succus in renibus generetur quandoque, vel ab his glandulis iis communicetur, ulteriori scrutinio opus habet: Tu quid in causâ hâc dicendum opineris, propediem explana. Vale.

Dab. Bas. d. 12. Jan. 1677.

EXERCITATIO I.

De Calculi generatione,

JOH. JACOBO HARDERO.

JOH. CONR. PEIERUS, S.P.D.

Quò dolores mei abiére longius, eò ad officia redeo promptius. Nec parum de-

A 2

litia

litiaë literarum Tuarum languentem recrea-
 runt. Historiam anatomicam infantis ob cal-
 culum tabe, doloribus & convulsionibus con-
 fecti avidè perlegi, ex ea magnam Tuam in-
 dustriam, velut ex ungue Leonem, cogno-
 scens. Revera nihil utilius vel necessarium
 magis Medico crebris cadaverum dissectio-
 nibus; hæ enim facem afferunt iis, quæ olim
 sive ex mutis sive vocalibus præceptoribus
 didicimus. Imò ad hunc veluti lydium la-
 pidem omnia examinanda ac æstimanda in
 arte veniunt. Mirum oppidò, qui in infante
 calculus succreverit? Anne forsan parentes
 eidem malo obnoxii semina quasi suggesse-
 runt, aut eam sanguini diathesin, ex qua po-
 stea calculus levi negotio nasci ac augeri po-
 tuerit? De fermento Renum eleganter disse-
 rit *Subtiliss. Willisius*, in libro de operationibus
 Medicamentorum: hoc loco non exscribenda
 ea duxi. Id certum ad calculi generationem
 fermenti si quod est renalis vitia plurimùm
 conferre posse. At secundùm naturam id
 acidum esse, prorsus ambiguum. Etenim fer-
 mentum minimè è glandulis succenturiatis
 infunditur; sed in ipsismet Renibus generatur,
 ceu id ostendit *Cl. Willisius*, ratione & *auto-*
psia conspirantibus. Nullæ enim è succen-
 turiatis in Renes legitimos viæ patent. Qua-
 propter inde ab amurcâ illâ subacidâ ad con-
 similem fermenti renalis indolem argumen-
 tari haud licet. *Otto Tachenius* calculos ex-
 peri

perimentis non contemnendis ex acido & alkali conflatur. Quid *Cl. Helmontius* per spiritum coagulativum intelligat, divinare nolo: Tam enim obscura rebus (etiam aliquando notissimis) nomina sæpe imponit, ut potius obscurari exinde videantur. Coeterum ex principio salino tam fixo quàm volatili, calculos ortum ducere haud dubium est. Pluribus Tibi molestus esse desino. Vale & fave.

Scaphuse d. 23. Jan. 1677.

EXERCITATIO II.

*De calculi generatione & Renibus
succenturiatis.*

JOH. CONRADO PEIERO,
JOH. JACOBUS HARDERUS, S.P.D.

Quot literas à Te accipio, tot amoris & favoris sinceri video indicia, quibus ut pariter respondere possim, summopere annitar. Sententia de calculi generatione erudita est, genuinum sapiens ingenii Tui foetum. Supposito, fermentum renale, quod *Cl. Willisius* lixivum esse contendit, præcipuam calculi causam existere, ut in statu morbofo illud acescat, rationi consentaneum quodammodò videtur, si quidem acidum abundans evidentissimè coagulum pariat, id quod ipse *Tackenius* assumet facilè, utpote strenuus alkali & acidi, horumque mutui consortii, longè arctissimi assertor: dato proin, mate-

A 3 riam

tiam tartaream faculentam, salinam, quam Gal. I. XIV. de Meth. medend. nomine *χυμὸς γλυκρὸς ἢ παχέος* indigitat, per arterias emulgentes ad Renes advectam, ibidemque in glandulas corticales, atque exhinc in ductus excretorios secretam, semen calculi foemini- num constituere, atque abhinc sua ipsum sumere primordias; id etiam largiri oportebit, accedere acidum quoddam, materiam illam quod concrefcere faciat, sicque masculini feminis vires quasi adimpleat: nō salia diverfi generis, ipsi sero ad dictas partes amandari solito, inesse dicere velimus: Aut, forti magis ad rem Hippocr. I. περὶ αἰέρων p. XXI. λιθιῶσι δὲ μάλιστα ἄνθρωποι καὶ ὑπὸ νεφριτικῶν ἐλίσκον) & οὐκ ὕδατα πίνουσι παντοδαπώτατα; ἔ γὰρ οἴοντε ἕτερον ἑτέρῳ εἰκέναι ὕδατος, ἀλλὰ τὰ μὲν γλυκέα εἶναι, τὰ δὲ ἀλυκέα καὶ συπληρώδεια, &c.

Quicquid sit, mihi sufficet miratum esse quod præfat. Willisius, succum nervosum acescentem, vel spiritus animales à διαθήσει suā dejectos, pro coaguli causā obtrudat, cum *ille* maximopere adhuc vacillet, *hi* verò ad motum præcipuè videantur renibus concessi, ut feri secretio eò laudabilius & manifestius procederet: Imò credendum erit, citra fermenti d. læsionem calculum prodire, quod dubiæ magis foret alear: si enim fermenti vitiata constitutio sufficere possit, ad quid succum nervosum ulterius in scenam protrahere? In calidiori constitutione quòd scribis, ob se-

ob se-

ob feri aquei paucitatem, facile se comprehendere particulas salino tartareas & coalescere, summopere probo, atque hoc ipso veterum nobis patrocinium parari arbitror, qui per *assationem*, λιθίασιν hanc explicuerunt. Egregia sunt quæ hoc de negotio Cous l. d. p. 22. recenset, neque refragatur p. XXIV. ubi pueris ex lacte valdè calido ac bilioso, à quo venter & vesica percalescant, calculos oboriri statuit.

Amurcam cum nominas succum glandularum atrabiliarium subacidum nimium agere videris (si etiam in feriis joculari licet) nobiliori enim titulo, ob muneris, quamvis etiamnum occulti, gravitatem dignus habendus erit: Certè si aliæ glandulæ fermentum præparant, vel saltem hujusmodi succos recondunt, etiam hæ certi liquoris segregationi destinatæ erunt, utpote suâ donatæ cavitate, vasis item sanguiferis ac nerveis, variâque variis in animalibus structurâ. Non heic sententiarum excutiam varietatem, quas ex Anatomicorum monumentis colligere poterunt Curiosi: Dicam saltem in Renibus sero à sanguine secedente, hunc ipsum suo ὀξύματι destitui, commodo satis & naturali, in cuius proin locum, ut alius humor, parili officio defungens aliunde suffundatur, sanitatis ratio postulat: Annon autem talis quispiam hisce ex glandulis in massam sanguineam redundare possit, dubitabunt multi? Tute

judica, cui in corporum interiora penitus
 introspicere datum est. Viæ equidem ex iis
 in Renes hactenus non patuerunt, nec dum
 apertæ sunt: Fateor quoque lympham fan-
 guinis Oceano reaffulam, multum utilitatis
 illi afferre: propterea tamen *succenturiato-
 rum* officium nec cadit omnino, nec saluum
 fit: Ast ne excedam epistolæ limites, valere
 Te jubebo, postquam arthritidis & nephriti-
 dis affinitatem, ex literis Excell. BAUMGART-
 NERI, infantuli hujus calculosi occasione ad
 me scriptis, Tibi significavero: Ita autem il-
 le: *Hinc arthritici sapius sunt calculosi. Ante
 aliquot annos D. Sororii T. Avunculo podagrigo,
 ingentem in genu abscessum aperui: pus ef-
 fluxit album, leve, æquale, quod tamen exic-
 catum in lapillos albos concrevit, quales etiam
 sæpe per urinam excernit, &c.* Vale perbellè.

Dabam Basil. d. 9. Febr. 1677.

EXERCITATIO II.

*De calculi generatione & Renibus
 succenturiatis.*

JOH. JACOBO HARDERO,
 JOH. CONRADUS PEIER, S.P.D.

GRatus est, Vir doctissime, mutuus con-
 sensus noster: gratus etiam dissensus.
 Nam & huic inter amicos locus, tunc præci-
 puè cùm sententiarum divortia veritatis lu-
 cem accendunt. Non igitur vitio mihi vertes,
 si vel in præcedentibus meis Epistolis, vel
 etiam-

etiamnum in hac idem tecum me sentire
haud contingat. Evenit quinetiam perſæpe,
ut dum in quibusdam discrepare videmur,
re perpenſa vel maximè conſpirâſſe depre-
hendamur. Id verò de quo nunc agimus, tan-
tæ eſt indaginis vel potiùs obſcuritatis, ut è
centum auctõribus vix duos de calculi mate-
ria & generationis modo idem ſtatuentes in-
venias. Satius ergo, meo iudicio, conjeçturas
tantùm aut hypotheſes veri-ſimillimas, quàm
aſſertiones indubitatas (quibus in re obſcurâ
parum euta fides) protuliſſe. Equidem nuper
quid alii ſentiant potiùs quàm quid ego, ad-
duxi. Nunc, quò te voluptas trahit, & meam
de calculi generatione mentem aperiam. Sup-
pono itaq̃ue, imò ſtatuo; maſſam hominis
ſanguineam ſale plurimo tam fixo quàm vo-
latili, ex alimentis quibusvis ſuppeditato ſca-
tere nec non particulis terreis: Hiſq̃ue nunc
pluribus & craſſis, nunc paucioribus atque te-
nuibus, prout videlicet ſpiritus microcoſmi
reçtor, digeſtionumq̃ue omnium ac depura-
tionum præfectus, vel viget, vel languet. Porrò
certum eſt, ſalinum illud & terreum princi-
pium ſero potiffimùm inharere, cumq̃ue eo
ad renes jugiter ferri; huic muneri deſtinatos,
ut ſanguinem & à ſeroſitate nimia & ſalſugine
vindicient. Quamvis autem renum ſtructura
talis ſit, ut propter ſolam tubulorum atq̃ue in
his pororum vel meatuum configurationem,
ſerum excrementitium ac emeritum, ab utili

A §

ſive

sive sanguine sive sero secedere optimè possit, placuit tamen insuper fermentum, sequestrationis autorem vel promotorem, admittere. Hujus genium & natales describere nolo, ne actum agam; quia *Clarissimus Willisius* in tractatu ingeniosissimo de *operationibus medicamentorum* id fecit, quo cum, donec melior affulgeat sententia, sentio, Quemadmodum igitur duplex est seri in renibus secretionis modus, ita quoque gemina potissimum calculi generationis ratio.

Una eaque præcipua est fibrarum seu (ut *Bellini* voce utar) tubulorum atque pororum in his angustia, unde fit, ut crassiores salinæ, atque terreæ particulæ transituræ hæreant, sensimque aliarum associatione auctæ tandem in calculum excrecant. Haud secus ac in canalium aut tubulorum, per quos aquæ minerales decurrunt, parietibus tophi aliquando ingentes nascuntur. Angustiam porrò aliam facio nativam, adventitiam aliam. In illa consistit hæreditaria *Algeosis*, quam emendare aut averruncare ane est in Medico? Hanc caliditas aut frigiditas, à sanguine tali & spiritibus dependens, ceu pullum excludit. Frigidioribus namque in renibus omnibus sensim quasi flaccescentibus, pori & tubuli hinc inde, præ spirituum expansivorum inopia collabuntur; ut ingredi quidem serum in illos facilè, progredi autem ac egredi agrè possit. Quo in statu si insuper sanguis

guis

guis multo sale, vel tartaro (ut vocant) sca-
teat, quid quæso, proclivius, quàm particula-
rum Salino-tartarearum agmen in mutuos
ruens amplexus, primò in arenulas, ac tan-
dem in calculum grandem cogi? Equidem
ego à multo jam tempore in urina mea, quam
excerno limpidissimam optimamque, post-
quam frigescit, multas provenire arenulas ob-
servavi, splendentes & pellucas, nonnun-
quam etiam subrubentes (quales quoque sibi
visas scribit *Thomas Willis in dissertatione de
urinis.*) Anne quod in matula fit, idem in re-
nibus contingere frigidioribus *ἄτομον*; aut
quid magis interdum salia prius dissociata co-
git, quàm frigus, præcipuè nitrosa, quibus &
sanguis humanus & urina scatet. Calidior au-
tem *Ἀθήσις* præterquam quòd salium omnis
generis valde sit ferax, eaque ob seri aquei pau-
citatem facilè se comprehendere mutuò &
coalescere possint, insuper tubulos atque po-
rulos renum siccando aut quasi torrendo ar-
ctat, sicque salium stagnationi & concretioni
ansa porrigitur. Viderint igitur nasuti qui-
dam, quo jure veterum optimates traducant,
quasi frigoris & caloris excessum in renibus
calculi autorem imperitè scripsissent. Remne
adeò planam faciunt, qui fermentum aut suc-
cum lapidificum (ita enim illum appellant)
primi introduxerunt, uniceque crepant? Ju-
rem obscurum per æquè obscurum tradi. Nec
tamen fermenta nego, sed, quæ par est, nem-
pe spi-

pe spirituoſa, credo. Acidum in ſtatu ſanita-
tis renibus ſi putas ineſſe, cogeriſ fateri, pro-
pter ſolam qualitatſ, nimirum aciditatſ, in-
tenſionem id calculi auctorem fieri. At verò
longè ſimilius eſt, illud tunc & qualitates &
indolem prorfus exuere atque in aliam priori
contrariam degenerare. Verùm hæc doctri-
na abſtruſior, ſaltem amplior eſt, quàm ut
Epistolæ includi poſſit aut debeat. Et fanè
multa ſunt, quæ calculos rariùs fermenti re-
nalis vitio naſci ſuadent, imò perſuadent. Ve-
rùm ſingula recensere nimis foret longum.
Amurcam dixi renum ſuccenturiatorum hu-
morem, ut ſcapham ſcapham ad pellem. E dif-
fectis enim non liquor, ſed verius amurca ex-
primitur. Abſit autè, ut eos uſibus & dignitate
eâ, quam merentur, ipſiſque à *Cl. Williſio* etiam
tribuitur, privem; ſanguis enim venoſus ſero
in renibus ſpoliatus per venas emulgentes re-
dux, opus omnino lymphâ, ut diluatur habet:
quiſque curioſiùs cuncta in viventibus ſcrutan-
tur, vaſa lymphatica non pauca emulgentes
ambire venas, iisſque nectar ſuum inſtillare,
deprehendunt. Quanti etiam glandulas fa-
ciam, vel ex mea de glandulis inteſtinorum
Exercitatione perſpicias, quam Tibi veræ in
Symbolum amicitiaẽ dono oblatam proximè
accipies. Vale & fave.

Scaphuſia d. 29. Febr. c 15. l3c. LXXVII.

*De pericardii humore & cordis
fermento.*

JOH. CONRADO PEIERO,
JOH. JAC. HARDERUS, S. P. D.

GRatissimæ fuerunt, quæ Genevæ feliciter Te appulisse nuntiârunt. Grata quoque epistola, ultimo Aprilis signata, ad quam jam pridem responsorias misi, easque fusiores, historiam enodantes ascitico apoplectici, quem à nativitate hydrocephalo laborâsse, putârunt aliqui: Harum certè jacturam, si quæ facta est, dolerem maximè, non quidem curiosis Tuis auribus, quòd admodum dignam illam existimem, sed quia nostris in Anatome conatibus, præter alios Te impensè favere scio: ferenda erit tantisper, hæc sive tabellarii, sive aliorum negligentia, dum novâ operâ damnum hoc qualecunque resarcire queam.

Humoris in pericardio contenti plures faciunt mentionem, quidam brevius, lectorem ulteriori scrutationi remittendo, quidam prolixius, varias variorum referendo opiniones, neutri tamen scrupulum genuino remedio eximunt, unde scriptorum volumina Tibi non satisfacisse, quid mirer? De ejus natura adeò certè propalare multa non possum, neque citra experimenta & duplicatas cadaverum sectiones illam indagatu facilem arbitror: Si tamen in re obscura pronuntiare aliquid

quid

quid ausim, videtur ille continere in se partes sulphureas & salinas, inq; temperatâ corporis *Algeθeσs* satis volatiles, unde humidum primigenium hunc esse, non pauci contendunt: num cum fundamento, viderint illi: Ego lympham illum esse, vel saltem ad ejus generationem concurrere, non metuo asserere, quamvis ex vaporibus, in sanguinis per cordis thalamos transeuntis ebullitione exhalantibus, alii eundem progigni, fortè non incongruè affirment: sanguinem enim in circulum euntem, in continuo motu seu fermentescentiâ existere constat, in quâ præprimis ubi vitalia organa ingreditur, ubertim vapores profiliunt, qui viâ, ob pericardium interjectum, pari copiâ exhalandi à natura præclusâ, in hoc ipso, veluti in claustro, aut si mavis, sub alembico, probabiliter in aquam condensantur subtilem & tenuem: Aqua vel lymphæ hæc moderatâ quantitate aggeritur continuo, signo *αιμαλώσεως* & humorum secretionis benè peractorum: neque absurdi quid esse puto, si motui cordis inter alia facilitando, hanc ipsam infervire dicam, licèt ad muscoli motum, multâ humiditate opus esse non reer: In corporibus cacochymis, aliisque ad hydropem inclinantibus, ubi in victu multus error committitur, partesque volatiles in massa sanguineâ depresso jacent: ubi ex succorum fermentaceorum inopiâ vel vitio, succus nutritius degenerat & pervertitur, hanc ipsam pe-

ricardii

ricardii lympham vel deficere, vel copiosior-
rem ac impuriorem existere verisimile est:
Utrùm autem, quod dicitur communiter, ma-
jori quantitate collecta aqua hæc, motus cor-
dis nunc aboliti nunc imminuti causa sit? hic
non decidam: sufficit quæ obscura sunt, hæc
ratione explicari quodammodo posse. Cæte-
rùm fermentationem dictam quàm laudabi-
lissimè instituit sanguis ipse, qui dum multâ
chyli agitatione, succum nutritium tandem
evoluit, non immerito sanguificare dicitur:
huic sunt, qui fermentum cordis jungunt
cum spiritibus animalibus ad ejus motum fœ-
cundandum, sufficientissimè influentibus,
quibus singulis machina corporis vel à primo
ortu, vel post ortum ex impuro victu ma-
lè sana, magis magisque destituitur, visce-
rum labascente tono, & sanguinis vigore in-
dies cadente, in sui ruinam maximè prona.
Dico exhinc humorem pericardii necessa-
rium esse, neque à naturâ providâ temerè huc
secerni, etiamsi vel vitam nobis tribuere, vel
corpori alendo mancipari necdum statuam:
Signum nempe est, ubi nec quantitate, nec
qualitate peccârit, succi nutritii laudabiliter
confecti, à cujus abundantia partes volatiles
salinas & oleosas ipse sumit, suo destinatas u-
sui, qui obscurus licèt, certus tamen est, no-
stræque & omnium investigationi relictus.
Vale.

Dab. Basil. d. 20. Junij 1677.

E X

EXERCITATIO III.

De pericardio & ejus humore.

JOHANNI JACOBO HARDERO,
JOH. CONRADUS PEJERUS S.P.D.

QUAS ad me Genevam perscripsisti literas
accepi optime. In iis de humore pericar-
dii tu pluribus, & docte, è priscorum æque ac
recentium sententia. At cordi illum necessa-
ria præbere commoda mihi jam persuasum
est, nec defectum ejus istud sine gravi detri-
mento sustinet. Quanquam vero pericar-
dium Lovverus (de corde cap. I.) subsidium
præstare asserat tam necessarium, ut a vibus
etiam minoribus, serpentibus item, ranis, &
omnibus præterea vel minimis animalculis
nusquam desit; tamen absolutæ huic enun-
ciationi erinaceus scrupulum injiciat, ubi pe-
ricardium nullum invenitur, ceu notavi in
anatomye clavi medicinæ Johannis de Mural-
to pag. 261. & seqq. inserta. Ex quo patet dari
omnino animalia in quibus pericardium de-
sideratur. Sed advertendum tamen humo-
rem oblinendæ cordis superficiei non defice-
re: etenim erinaceis seri momentum in tho-
race est, quo cor & pulmo imbuitur. Igitur
salva quidem vita cor involvens atque ope-
riens membrana abesse potest, lubricans hu-
mor non item. Major autem in ortu & natu-
ra humoris istius difficultas, sententiarum-
que

que luxuries potiùs quàm defectus. Supervacaneum & incongruum mihi videtur ad halitus sive vapores è corde diffusos atque pericardii frigore postea densatos recurrere: etenim cor longè crassius & compactius est, quàm ut per illud vapores è ventriculis transpirare queant, nec præcordiorum frigiditas tanta, quæ vapores tanquam in alembico facile cogat. Fervet quippe æstuante corde omnis vicinia. Porrò humor ille ferme crassior apparet, adeoque angustissimis cordis poris minus proportionatus. Vitcidus enim plerumque est & prunarum fotu albuminis ovi instar spissescit, uti præter experientiam confirmat quoque Lovveri autoritas, Muraltum nostrum in clavi medic. pag. 253. pericardii humorem è thymo derivasse miror, nec tamen manifestos canales aut vasa demonstrasse. Eundem verisimilius è pusillis glandulis ad cordis basin deduxit Lovverus. Ego autem ex ipso pericardio humorem provenire existimo, quoniam hoc interne plurimis foraminibus ad instar foliorum hyperici vulgaris pervium aliquoties animadverti, roridas aquæ guttas compressione fundentibus. De cætero si vaporibus è corde prodeuntibus humor iste originem deberet, necesse foret ardente feбри laborantes omnes hydropeem cordis protenus incurrere: nam quò intensior æstus, eò vaporum proventus uberior. Natura autem humorem pericardii mitem

B

esse

esse convenit, ne acrimonia lædens stimu-
lansve, palpitationem inferat. Tecum itaque
sentio, quando & serum dulce & benignio-
res salinas sulphureasque particulas hic ad-
mittis. Vale.

Data Genevæ d. 30. Junii 1677.

EXERCITATIO IV.

*De hydrope cordis, pericardii hu-
more, & glandulis uterinis in Rupi-
caprâ.*

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

E Thermis Leucensibus, quas Vener. D. Pa-
rens meus, sanitatis pristinae recuperandæ
ergò adiit, ad Te scribo, sed minùs ad vo-
tum, cùm procul sim ἀπὸ πατρίδος αἰνός, iis-
que, quæ impertirem libenter, destituar. De
liquore pericardii sententiam verisimilem
tantùm, non verò sufficienter probatam, vel
omnibus creditam exhibui. Lymphæ, cujus
nomine illum quoque dotasse memini, ma-
jor haud dubiè est in corpore nostro usus,
quàm sibi persuadent plures, isque nobilis
& scrutatu dignissimus, nec video, unde *Hy-
dropis cordis generatio*, quam ex lymphâ vasa
erodente aut distendente nimium deducunt
aliqui, comodiùs ac ex hujus liquoris vitiosâ
exundantiâ derivari queat. Vapores pro uni-
versali causâ asserunt alii, qui credunt è cor-
pore

pore nostro ipsos penitus eliminari non posse: De hisce differendi occasionem exhibuit Cl. *Willisus*, dum pharmaceut. p. 2. cap, de hydropne pectoris inquit: *Quin verò statuere oportet, humorem serosum hydropne pectoris excitantem illuc pervenire aut specie vaporis qui à precordiis & thoracis parietibus exhalatus, in aquam facile condensatur.* Mirum certè Virum ingeniosum & Medicum verè Rationalem, suis ex Anatomicis, quibus sedulò vacavit, lustrationibus, evidenter comprobatis lymphæ ductibus non potissimum instituisse, vaporum satellitio sequestrato: Quicquid sit, inconcussum manet, liquorem hunc necessarium esse, & si vel deficiat aut excessu peccet, malæ causæ signum esse. Quòd autem Cl. *Muraltus* lympham istam è cordis thymo derivat, id forte aliunde conclusit, neque enim ex *Warthono* hausisse potest, qui quod segregat glandulosa hæc caro, à nervis afferri, aque iisdem auferri statuit. Ego hæctenus vasa lymphica ex thymo versùs pericardium tendentia, non vidi, nec ab aliis demonstrata inaudivi? quin alium planè glandulæ isti tribuunt usum nonnulli. Propediem mittam historiam ascitico-apoplectici, & ascitico-phtisici è cujus thorace & pericardio apertis, magnam aquarum copiam non citra admirationem vacuavimus. Hisce in thermis tempus ludo praxi Medicâ & Anatomicâ: præteritâ Solis ansam egregiè nactus fui in-

quirendi in glandulas uterinas in rupicapra lactante, altera post partum septimanam: Vidi illas copiosissimas juxta parietes uteri, ad extremitates usque cornuum utrinque decurrentes, turgidas coloreque fusco tinctas: Hasce ut examinare cogitarem, movit disquisitio de sanguine menstruo, sexus sequioris tributo Lunatico, cujus periodicum fluxum, fermento cuiusdam uterino adscribunt plurimi. Vale.

E' thermis Leucensib. d. 12. Jul. 1677.

EXERCITATIO IV.

De tora, humore pericardii, & glandulis in rupicapra utero.

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

UT balneum venerando parenti tuo tibi. que, mi Hardere, vehementer pro sit ex animo precor: neque enim praestantior est sanitate thesaurus, quam his in terris judico bonorum maximum. Ast in Vallesiam auspiciato cum te fors deduxerit, naturae operum & artis amplam messem colliges, ad reficiendum te perinde atque curiositate ductos amicorum animos. A multo equidem tempore ut inclyti viri Pauli Ammanni voto satisfacerem thoram mihi majorem optavi, quam C. Bauhinus in pinace aconiti pardalianches primam facit speciem, & Conrad, Gesne-

Gesnerus in Vallesia, nî fallor, reperiri scribit. Caule dicitur assurgere unico è radice multiplici, sed folia proferre tantùm duo aut tria ferme rotunda, & flores ranunculo vulgari assimiles. Rem ergo mihi faceres opidò gratissimam ac officiorum genere quovis sarcendam, si plantam illam ad me integram vel certè semen ejus mitteres. Nec voluntati tuæ inventis quoque aliis me beandi deerit obcasio, qui paria pro virili parte referre studebo. Imò officiis quæ nequeo operam hercle navabo ut mente pensam gratâ. De humore autem pericardii quæ subsumis eatenus placent, quatenus aut cum assertionem conspirant mea, aut quod palmarium cum veritate. Sanguinem in corde magis ebullire quàm pulmonibus & præcordiis negat Lovverus. Quare cum pulmones corde magis sint omnino pervii, cur in thorace idem humor non redundat ut in pericardio, si penitus vapores haut eliminandos esse censeas? De triplici hydrope quam spondes nunc historiam exspecto avidè. Rupicapræ utero hærentes glandulæ differre mihi non videntur à cotyledonibus, quas alii vocant acetabula: quod genus etiam in domesticæ capræ & ovium matricibus inveni hercle plurima. An verò inde quid pro sanguine concludi possit menstruo addubito, cum nutriendis tantùm foetibus hæ glandulæ interserviant. Deinde menstruum sanguinem bruta

non excernunt præter simiam & pauca quædam alia, glandulis verò talibus destituitur muliebris uterus. Quod superest unum quoque aut alterum ægagropilum peto si eorum copia datur, ut de viribus per experientiam judicem, quas ingens Medicinæ lumen Georgius Hieronymus Velschius gemina dissertatione plurimum extollit. Vale.

Dabam Geneva d. 24. Julij 1677

EXERCITATIO V.

De glandulis & fermento uteri.

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

DOleo me Tuas accepisse demum, cum thermis jam valedixeram, ita enim nec petito Tuo, quod approbavi maximè, nec propriæ voluntati, quæ ad Amicorum nutum stare multùm desiderat, satisfacere mihi licuit: Adduxi equidem plantas aliquot, & visu amœnas & scitu utiles interque has Aconita quædam: Thoram tamen inter illas esse dubito. Tu aliquando videbis omnia. Cæterùm quæ de liquore pericardii scriptitavi, ad palatum fuisse gaudeo, qui mutuâ animorum conspiratione nihil jucundius arbitror: *Willisium* à vaporibus parùm abhorruisse, ex ipsiusmet verbis satis me demonstrâsse credo, licèt minoris momenti illos esse tecum persuasum habeam. Glandulas uterinas quod

con-

concernit, eas in subiecto muliebri conspectas hactenus non fuisse, fateor: An adstantium pertinaciâ magis, quàm cadaverum defectu, aut Anatomicorum negligentia? ecquidem ignoro: Non tamé levis videtur esse sententia Warthoni, quam suo modo quoque Needham amplectitur, placentæ muliebris medietatem alteram chorio, utero alteram legantis, adenograph. c. 35. non quasi solo gestationis tempore ipsius aliquis sit usus, quod quidem ipse in seq. haud obscure contendit, sic enim utero à conceptu vacuo existente, otiosa foret admodum, & in sterilibus tantùm non inutilis, sed quod fermentum pro vectigali menstruo exigendo idoneum fervare debeat insuper. Bruta sanguine menstruo destitui nôrunt omnes, nec ego tam absurdus sum, talia qui statuere fatagam: donantur nihilominus fermento, quod in præfatis glandulis latitans, succum nutritium pro foetus alimento per arterias appellentem, uti *Nedhamus* eruditè docet, segregat; solam siquidem colationem, à glandularum diversimodâ structurâ quæ pendet, sufficere difficulter quis crediderit: De hoc proin quæstio potissima erit, detur ne in utero muliebri analogum quid istis, citra graviditatis tempus? Negativam statuere difficile videtur, nec magis facile affirmativam amplecti, experimentorum momentis destituto. Loquar ergò ex hypothese, dum meliora dies

suggeret, & dicam glandulas quæ foetui liquorem idoneum pro alimento segregant, eodem in uteri cavernis non existente, vectigal à foeminis motu intestino ope fermenti quod continent, menstrua periodo instituto, postulare, impurius à puriore separare, atque fluxus hujus consueti ita genuinam matrem fieri. Vale.

Dab. Bas. d. 4. August. 1677.

EXERCITATIO V.

De hydrope cordis & pectoris, fermento uteri & menstruis.

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

Reditum ex Vallesia inclyto patri tuo tibi que faustum cupio, quem tuæ nunciant gratissimæ. Ne verò nihil sit quod deinceps scribas, historiam quæso de rebus ex tumore miro prodeuntibus, ut audio, delineas. Pericardii & pectoris hydropem à vaporibus equidem ex parte derivat Th. Willis, ast sententiæ huic nondum subscribo. In hydropticis enim cum aqua dominio obtento calorem seu effervescentiam sanguinis inhibeat ac exstinguat, anne vapores multos generari est probabile? Militent pro his qui volent, arma ego nemini sumministrabo. De uteri fermento abstrusa quæstio est & responsum difficile. Qui doctrinam de fermento

mentis & fermentatione corpori humano primi accommodarunt, & bene fecerunt & malè. Bene : quia multarum partium actiones ista ratione melius explicantur. Malè : quando nimia liberalitate singulis visceribus peculiare fermentum adscribunt, & in morbis explicandis nihil nisi fermenta vitiata crepant. Non inficior equidem vitam nostram quodammodo dependere à fermentatione, seu motu intestino sanguinis & spirituum, neque ventriculo & intestinis fermentum adimo; at utero virginum atque mulierum non prægnantium fermentum quoque inesse, à quo statò tempore sanguinis excretio proliciatur, emoriar si credam. In utero enim nullæ existant partes, neu organa, quibus absolvi queat fermenti talis præparatio: adeoque verisimilius est fermentationem in universo corpore potius cieri, ubi sanguis menstruus reddendus venit, quàm in utero. Nam sæpe clausa matrice vel obstructa, dum hac erumpere nequit sanguis, per os, nares, oculos, aures egreditur. Imò viri sunt quibus menstruo is curriculo per venas aut arterias ani copiosè effluit, ubi tamen fermentum aliquod singulare eum in finem hospitari, opinor nemo dixerit. Cùm prægnantium verò uteris res habet aliter. Etenim & nova his cuduntur organa, & humor etiam nutritius secernitur, daturus embryoni alimoniam. Quemadmodum autem partes istæ tunc

B 5

adve-

adveniunt, quæ prius sane haut adfuerant, vel saltem officio caruerant suo? ita humor etiam ille aut fermentum recens editur. At partu elidente omnis fermenti simul perit usus & necessitas. Ad menstruorum ergo expiationem fermento virtus nulla est, si largiamur maximè. Sed & evidentia tua parum quadrat hypothesis, quâ perperam existimas, tributum illud solvi tantum crasso, crudo, foedo, & corrupto sanguine: nam iste sæpe tam excernitur laudabilis ac floridus, ut notas servet atque gerat optimas. Nec tamen nego posse illum varias ob remoras & corporis animique vitia labem contrahere, sicut degenerans veneno prodeat nocentior. Tu autem culpam cave tribuas fermento uteri, quod ego prius hercle renuo admittere, quàm manifestis abs te vincar rationibus. Vale.

Dab. Geneva d. 7. Augusti 1677.

EXERCITATIO VI.

De Uteri fermento & Menstruis.

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

Quæstione de pericardii lymphâ feliciter compositâ, ad fermenti uterini ulteriorem enucleationem pergo, quàm difficiliore fore suspicor, quò minori experimentorum numero

numero potior, rara quidem apud nos est ca-
daverum foemininorum Anatome, & quæ in
horum uteris naturæ ex præscripto latitent
glandulosa corpora, mihi saltem hætenus
non visa: suffecerunt hoc in negotio vacillan-
ti, virorum de re Medicâ optimè meritorum,
gravissimæ autoritates, & rationes satis pon-
derosæ, quibus tamdiu acquiescendum arbi-
tror, donec ulteriori experientiâ vel confir-
mentur vel destruantur: *Willisius, Needha-
mus, Warthonus*, aliique Viri Clariss. quorum
numero Magnum nostrum *Glaferum* p.m. jure
accenseo, omnes fermentum hujuscemodi
uterinum nobis perhibent, ab eoque plura in
corpore nostro, nunc commoda, nunc in-
commoda pullulare dicunt: *Fermentum* quo-
que cardiacum, quod ab *uterino*, tempore
menstruæ purgationis excitetur, ad mutua
quasi subsidia, agnoscunt iidem: adeo citra
præviâ *Massæ sanguineæ* intestinam agitatio-
nem, fluxum hunc vix laudabiliter procede-
re posse rati: Morborum jam, quibus sexus
sequior obnoxius evasit, agmen si perpende-
rimus, patebit plerosque fermenti hujus vi-
tiatâ ex *διαθέσει* oboriri: Mensium enim sup-
pressio, paucitas, grumositas, *χλώροσις*, aliique
morbi uterini, nonne fermento huic vel de-
ficienti, vel minùs probè exaltato, æquè ac
ipsius fluidi aut massæ humoralis vitio adscri-
bendi veniunt? in primis cum doceamur sæ-
piùs, foeminas, optimæ etiam constitutionis,
& in

& in quibus de fermento cordis vel ipsius sanguinis *ευνεργασία* parum conqueri possis catameniorum tardationem utcunque pati; ut taceam Virorum genitalia fermento convenienti receptâ ex opinione, orba non relinquere, quod cum paribus signis, dum parilem ætatem attigerunt, in foeminis ferè se prodat, quid de ejus, non in testibus modò, sed ipso quoque utero existentia tantopere ambigimus: neque heic pilorum in pudendis eruptionem, mammaram turgescientiam, in Venerem procliviratem & ad concipiendum aptitudinem, quæ singula huic fidem facere censentur, prolixius crepabo: id modo ex te quæram, an fermentatio illa, menstrua periodo fieri solita fiat in cassum? num verò ob sanguinis laudabilissimi à reliquo copia & qualitate quodammodo peccante, uti volunt veterum placita, segregatione: quod si concedas, in controversia erit unicè, ubi nam secretio hæc fiat potissimum, in vasis an ipso utero? sin hic, stat fermentum sæpius laudatum: sin illic nec brutorum uteri fermento glandularum opus habent, pro conficiendo succo nutritio, cum in arteriis hic ipse separari & per uteri interiorum substantiam colari possit; quin imò gestationis tempore hujuscemodi liquoris nutritii dicto modò filtrati effusio in vasa foetus sufficiet, citra ulteriorem depurationem, quam in placentâ sustinere olim credebatur: Sed satis pro genere foeminino pugna-

gna-

gnatum: Tu singulis æquiori trutina expensis,
Tuam mentem subnectere ne graveris. Vale.

Dab. Basil. d. II. August., 1677.

EXERCITATIO VI.

*De fermento uteri & Men-
struis.*

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

Rationes quibus uteri fermentum propu-
gnas, vidi, at vereor ut minoris sint effi-
caciæ apud me quàm tu existimas. Pro eo
equidem autoritates novi medicorum præ-
cellentium. Sed Magistrorum in verba quis
præstantium philosophorum jurat amplius?
De fermentis in corpore humano, uti nuper
monuisse memini, in excessu peccatum est:
nam illi ipsi scriptores quos tu allegas, &
quorum autoritate niteris, etiam cordi fer-
mentum singulare tribuunt, quod profecto ta-
men nullum est, nisi hoc nomine spiritus ani-
males è nervis quandiu vita durat ad cor
derivatos ibidemque turgentes intelligant.
Enimvero quæ de lymphâ tradiderunt alii
ad cor propriè non pertinent. Quamquam
igitur præclari scriptores fermentum singula-
re cordi adscribant, ego tamen illis non
subscribo. Sed causæ hujus decisio aliorsum
spectat, quia hic de utero, non de corde
agendum est. Tangere tamen illud debui
me hercules, quoniam tu fermentum cordis

tan-

tanquam tam indubitata perperam in tuis assumisti. Cadunt ergo simul quoque omnia, aut certè vacillant, quæ de mutua fermenti cardiaci & uterini conspiratione adstruis. Hippocrates, Galenus, atque è recentioribus medicis Sennertus, de uteri morbis præclare admodum scripserunt, nullâ fermenti facta mentione. Haut equidem inficior post illustratum sanguinis per arterias & venas reciprocum motum pathologiam omnem melius exponi, at fermentorum doctrina interdum luxuriat. Sumamus exemplum, menstruorum retentionem. Orietur illa proculdubio à vitio sanguinis aut uteri seorsim aut simul utriusque. Si ergo sanguis copia redundat vel crudior æquo est, ita ut minimas uteri arterias permeare nequeat, menstrua necessariò supprimentur, sive admittam fermentum sive negem. Pari modo si forte accidit uteri vasa & poros vel tumore comprimari, vel callo aut mucro incrustari, vel denique frigore aut alia aliqua spirituum animalium nervorumque affectione adstringi, idem omnino malum inde pullulabit; nec opus est ut fermento singulari partes ullas tribuam. Quod si demum & sanguis & uterus malè habent, affectus utique existet tanto gravior quanto causæ fuerint deteriores; neque hic etiam video cur ad fermentum ejusmodi recurrendum sit. Pilorum in pube eruptio mammarumque sororiantium & ad Venerem

rem

rem invitantium luxuria, & quæ id genus alia commemoras, non tam de fermento uteri quam universi sanguinis & naturæ vigore testimonium edunt: neque enim plerisque plantis flores ante cernas erumpere quam incrementi metam attigerunt. Jam floris ipsius productione cui, fodes, meritò adscribes quam totius plantæ succo & spiritui aëreo? Quibus posthabitis si pubescentium viraginum mutationes nihilominus ab uteri fermento proficisci existimas, edissere tu mihi quæso oratione clara atque distincta, quænam fermenti hujus ad protrudendum pilos laxandamque mammarum vincula vis sit aut proportio, quænam origo, quis fomes, quis denique motor ac instigator. Næ Apollo mihi magnus eris si cuncta hæc expedias. Virorum autem uti fors & conditio nobilior est quam mulierum, ita lubentius viris quoque fermentum quoddam peculiare largiter, si quid modo perfectionis inde in eos redundare animadverterem. Rem æqua lance tecum pensito, nec tamen ædepol in testibus familiarem istum deprehendo spiritum, qui ab animali spiritu sit diversus. Imò si maximè virorum testibus fermentum attribuerem, nihil utique valeret inde tua ad mulieres argumentatio: nam hæc perinde semen atque illi non conficiunt. Cæterùm menstruorum excrementum illud periodicum neutiquam frustra est, quin fit secundum ordinem naturæ &

ræ & stata fervat tempora. Excerni autem duntaxat crassio rem sanguinem, qui retentus naturæ molestias crearet, tu credas & ex quibus id hausisti magistri tui, non ego, utpote meliora doctus. Non enim hercule secernitur, sed ex arteriis immediatè tunc hiantibus per uterum promiscue excernitur, sive bonus sanguis sit, sive vitiosus, sive abundet ac turgeat sive non. Et hæc quidem singulari atque admiranda naturæ ordinatione fieri sentio, quibus ingenii mei vires melius explicandis adhuc sunt inferiores. Illud interea exploratum compertumque habeo, embryones in utero non nutriri sanguine materno, sed alio quodam humore è sanguine matris prolecto: quod cum aliter fieri nequeat nisi per secretionem, placenta præsto est, aut aliud ei simile glandulosum organum, quo alimonia secernitur. Hic tu per me fermentum imagineris tibi licet, dum simul quoq; statuas edito foetu illius existentiam ac usum cum placenta & secundinis perire ac evanescere. Dignum verò te laude judicabo si mihi penitus demonstras quidnam fermentum istud sit, unde originem suam trahat, & qua denique ratione id quod agit peragat. Vale.

Data Genevæ d. 15. August. 1677.

EXERCITATIO. VII.

De Uteri fermento & Menstruis.

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

In

IN veteri adhuc hæremus lite, quod præconceptæ opiniones exuuntur difficile: Majoris fateor momenti negotium est, quàm cui enodando parem me sentiam, & inter contrariæ sententiæ patronos litigatio fervet, quorum neuter, citra prægnantes rationes, easque sufficientibus experimentis stipatas, manusdabit ilicò. Gratulari ausim hodiernis veterum asseclis, de novo Patrono, quem in Tuâ personâ nactos esse video, nesciam quamvis, horum castra cur fueris ingressus, qui non nisi *Hercule* suffultus statuisti quidquam hæctenus: Ex eo sanè, quod Hippocr. Galenus, &c. de uteri affectibus accuratè scripserunt, citra fermenti uterini molestias, non videtur ad hujus *non existentiam* (si ita loqui fas sit) argumentandum, etenim & ventriculi & intestinorum fermenta sic vacillarent, siquidem sine his *χυλώσεσσι* initia & finem explicare satagant Galenici. Absit tamen ut horum placitis obstrepam propterea, vel ab iis præter necessitatem recedam, quin magis illis insisto, & *certam uteri temperiem ac dispositionem*, à quâ illi potissima, quæ mensuris imminentibus, accidere consueverunt, symptomata derivârunt, hoc ipsum fermentum sapere dicam, hinc consensus ille uteri cum mammis arctissimus, hinc diversi loci, quâ præparationis, quâ elaborationis, &c. (obscura licèt nomina, sanguinis menstrui pullularunt; Aud dic mihi sodes, qui qualitates oc-

C

cul-

cultas pernegas, quid uteri sit constitutio *ευνεργητικῆς* & *δυσνεργητικῆς*, si commoda & incommoda, quæ utero foeminæ accepta ferunt, à fermento vel rite disposito vel vitiato deducere absurdum censes: Explica quæso, quæ hæc uteri sit temperies, qualis item calor idoneus ad singula requiratur: Næ abluderent multum, fermenti uterini authores, ni ope hujus eadem distinctius monstrârint: vel *χλώροσιν* tibi sisto, affectum mulieribus non infrequentem; num illa uteri vel sanguinis vitio debetur: Sin huic tantum, morbus uteri amplius non est, sin illi, deducatur ejus origo: sin utrique, rursus stat fermentum, aut aliam oportebit ostendere hujus symptomatis causam, fermentum quæ penitus eliminet: spiritum per nervos affluentem in testibus præcipua agere non inficior: mirari tamen subit, cur tanta de castratis sit querela? cum qui testibus patrocinebatur aliquando, post horum excisionem non deficiat, sed in totum corpus copiosius redundet: nec etiam spiritum hunc unicè sufficere crediderim: glandularum commoda requiritur structura, ut secretionis opus rite absolvatur, quod stomachicæ & intestinales, &c. satis evincunt: aliàs vel membranâ vesicâ, colationis negotium perfici potuisset: Diutius autem, quàm æquum est fortè hæc recoquo, stomacho minus grata, quod experientiâ destituuntur, futura: Claudam itaque insipidas dapes
unius

unius adhuc appositione, quam tuæ efflagitant summopere: Fermenti uterini naturam desideras, quam libenter ignorare mihi videris: eodem enim ex fonte illam hausisse potes, ex quo ego: neque enim nescius es naturam ejus sulphureo salinam, ex sæpè dictis symptomatibus, catameneōn tempore comparantibus probari & asseri: dico proin ortum suum probabiliter sumere ex particulis maximè fermentaceis, ad uterum, eò potissimum tempore, quo pars massæ sanguineæ sulphurea & salina magis exaltari solet, studiosè delatis, atque ope spiritus nitroaërei magis attemperatis & volatilifatis: hæ suam ἐνεργειαν cum exerunt, fermentationem toti massæ sanguineæ periodicè inferunt, quam dehinc menstruum vectigal insequitur: num ex reliquiis quibusdam, fluxu hoc absoluto restitantes, potest fomentum accipiat, suo relinquo judici? Mihi hujus genium tantillum detexisse in præsens sufficiat. Vale.

Dab. Basil. d. 18. August. 1677.

EXERCITATIO VII.

De fermento Uteri & Menstruis.

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

C 2

No.

NOvis de uteri fermento difficultatibus me
 exerces, Hardere amicorum optime;
 quibus respondere necessarium duxi, ne cau-
 sam deserere viderer, aut naturam segniter
 defenderem. Fermenti equidem muliebris
 amore adeò te captum video, ut opinionem
 istam ægrè sis dimissurus. Quia tamen ex-
 perimenta captantibus ferme sensuum fide
 prius standum est quàm rationibus, fermen-
 tum uteri tantisper adhuc entibus rationis an-
 numerabo, dum illud sensibus quoque per-
 cipiatur. Qua quidem in actione iniqui ni-
 hil, ut vel tu vel sequior sexus me culpet, ob-
 servo. Iniquus verò tu mihi potiùs videris,
 cùm transfugam me & inconstantem reputas,
 absque manifesta ratione. Nam recentia ita
 hercle amplector, ut prisca quoque & à ma-
 joribus memoriæ prodita recolam. Nec vi-
 tuperandus sum: nunquam enim mancipavi
 me, ut uni addictus hærerem, sed æqua li-
 bertate usus, veritatem semper quæsivi & ma-
 gnifeci undecunque promulgatam. Cave
 ergo credas ficulna esse quæ de uteri fermento
 ad te scripsi, aut stramine niti. Ut enim
 Jurisconsulti sine lege loqui erubescunt, ita in
 his ego citra experientiam. Hippocratis,
 Galeni, Sennerti, autoritates nuper allegavi,
 ut ostenderem fuisse medicos qui nulla istius
 fermenti cognitione imbuti, exactam & suffi-
 cientem suppressorum menstruorum causam
 explicuerunt. Nec facti me poenitet. Vereor
 enim

enim ne fermentum tuum aliquid sit in rerum natura & occultis qualitatibus abstrusius, Cæterùm scias velim me non omnia fermenta in homine proscribere, sed libenter ea admittere ac statuminare quæ necessitas & evidentiâ persuadet. In ventriculo & intestinis fermentum demonstravit experientia. Ad sunt etiam utrobique glandulæ, fermenti fontes. At uterus humanus, quantum scio & à Regnero de Graaf aliisque observatum memini, glandulis caret: aut si quid glandulosi habet, impenditur id alendo foetui, quæ alimonia fermentum dici non potest. Hæret quidem uteri osculo mucus aut pituita viscida, sed fermentum non est, nec aliusei usus, quam ut viam reddat lubricam & lentore suo partibus tenacitatem impertiat. Affirmas tu perquam confidenter fermento menstrua prolici, ejusque naturam esse sulphuream & salinam. Mihi videtur tale quid in corpore humano vix generari è sanguine posse, quod vim habeat sanguinem extra vasa sua foras proliciendi: si quid ergo particulæ salinæ & sulphuræ possunt, illæ acuminibus, hæ calore seu motu vulnerabunt, aperientque venas & arterias, sic ut sanguis postea ex utero manare queat, adeoque fermentum istud hæmagogum seu sanguinem prolectans deleteriæ & corrodentis naturæ foret, quam abhorremus nec admittimus hoc loco. Igitur ut quod scripsi repetam, concipere nequeo quomodo

modo fermentum hocce sanguinem à sanguine separet. Venenum erit, non fermentum, si hoc efficiat. Ventriculi, intestinorum, & aliarum partium nonnullarum fermenta utilia sunt & necessaria; uteri fermentum plane supervacaneum est, quia menstrua sine hoc perinde excerni possunt, atque sanguis per alia loca statis temporibus & per periodos redditur etiam à viris. Vale.

Data Genevæ d. 21. August. 1677.

EXERCITATIO. VIII.

De bile & fermento hepatico.

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

Fateor non levia esse, Pejere Amicissime, quæ circa materiam, olim inter nos ventilatam, denuò protrudis argumenta: Glandularum in utero defectus, & in massâ sanguineâ fermentatio, (à quâ pleraque symptomata excitantur) menstruâ periodo naturaliter increbescens, meum ferè assensum impetrant, quem ideò distuli hæctenus, ne, quorum partes in me susceperam lubens, seignius defendisse viderer. Experienciâ tamen ulteriore & ruminatione eruditâ opus est tantisper, dum sententiæ Tuæ penitus me addicam; Liber enim cupio esse tecum, neque Dictatorum verba insulsè amplecti: Pro amicâ
inte.

interim συζητήσας, eum in finem institutâ unicè, ut veritati suus panderetur honor, gratias habeo maximas, id à Te contendens vehementer ut ad alia, si quæ occurrunt dubia (occurrunt autem sæpiùs) pari humanitate & dexterritate mentem Tuam aperire velis: Et quidem, cum fermentorum amore quodammodo detinear, *hepaticum*, cujus cum aliis meministi, jam arripiam: Nôsti quas prærogativas numeret hepar ex veterum parte, qui adeò nobilitârunt viscus hoc, ut nescio quam vim irradiativam, excellentem illam & satis decantatam αἱματοποιητικὴν, etiam mesaraicorum vasorum ratione, illi attribuerent: neque Recentiorum nonnulli quî de parenchymate illius sentiant ignoras. Adeo volubilis fors ad supremum quod modo evexerat dignitatis fastigium, ad infima mox detulit, dum hi tantum non cloacam & organum nudæ bilis percolationi emancipatum hepar esse audacter asseverant: Ego ecquidem structuram ejus majori artificio concinnatam novi, quàm quæ cribri saltem vices supplere possit, neque à me impetrare possum, ut bilem solâ colatione ex sanguine prodire & sequestrari, citra ullam præviam fermentationem statuam; quale tamen illud fermentum sit definire nequeo, Tu bono sis vati: Perquam etiam, quid de lactis, liquoris elegantissimi & utilissimæ generatione meditatus fueris, audire vellem, cùm & mammæ glandulis innume-

ris sint instructæ, in quas læto connubio jun-
cta nervea ac hæmagoga vasa implantantur.
Vale.

Dab. Bas. d. 28. August. 1677.

EXERCITATIO VIII.

De fermentis, bile & hepate.

JOH. JACOB O HARDERO
JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

GAudeo responsionibus apud te meis lo-
cum esse, quas affirmare ausim non esse
de nihilo. De fermentis post clarissimum
Thomam Willisium multi scripserunt, nec
ab illo tempore medicinalis liber aut ad phi-
losophiam naturalem pertinens ferme pro-
diit, quin fermentis plurimum tribueret,
eaque etiam internorum plerorumque mor-
borum instrumenta pronunciaret. Et illu-
stris planè doctrina est & magni usus, si intra
mediocritatem. Etenim ipsemet secretionem
multas in animalibus fermentorum ope fieri
existimo, non tamen ita ut his unicè proces-
sum & eventum omnem tribui velim; nam
ad negotium illud concurrunt & conspirant
multa alia, fermentis ipsis forsitan potiora. Ita-
que bilem in hepate nasci certum est; nec e-
nim alibi fel reperitur. Sed quod multi cre-
dunt bilis ipsa sanguini haud inest; quippe
qui non amaricat degustatus. Materies qui-
dem

dem à sanguine fluit, at bilis demum ab hepate: neque tantum hic percolâtur ea, sed opereose elaboratur, quandoquidem & Wepferus pridem & post eum Malpighius aliique jecur ex innumeris constare glandulis annotarunt. Jam ubi id genus glandulæ, ibi quoque fermentum est. Atque hoc rursus pro glandularum diversitate varium. Igitur bilis officina sunt hepatis glandulæ, in quarum singulas venarum portæ & cavæ itemque arteriarum propagines aliquæ expansæ cernuntur, sic ut sanguis per angustias hæc transiens quodammodo colari mihi quoque videatur. Eundem tamen deinde singulari præterea modo fermentescere arbitror, & particulas aliquas sanguinis ad mutationem idoneas ac propensas agitatione ista in bilem transfigurari. Cujus quidem fermentationis causam inquirenti protinus fermentum succurrit, ulterius verò indaganti abstrusa omnia, quæ experimentis & meditatione mea hætenus nondum planè sum assecutus. Eò tamen expensis diligenter omnibus nunc provehor, ut asserere nullus dubitem fermentum in eo ipso situm esse in quo vita & motus animalium præcipuè consistit. Quare multum sane tribuo spiritibus animalibus, è cerebro per nervos immissis, utpote motus auctoribus. Jam verò spirituum operationes pro diversitate organorum variare te non fugit: glandulæ autem hepatis ab aliis glandulis omnino

C s

diffe-

differunt. De lacte alias scribam; nunc enim non vacat. Vale.

Scrib. Geneva 31. August. 1677.

EXERCITATIO IX.

*De hepate, mammis & tumore
brahii.*

JOH. CONRADO PEIER O

JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

DE unanimi consensu circa Hepatis ac uteri potissimas actiones, utriusque nostrum gratulor, voveoque ardentem, ut paribus suffragiis cæterorum viscerum immunitates salvas facere queamus, quidquam enim Medicinæ nostræ, præter mutuam experimentorum seriem, & rationum pondera, non vanis *Nominibus*, sed veritati unicè innitentia, utilius contingere posse, non arbitror, unde haud parum doleo, partium studium adeo fervidè ac intempestivè amplecti plures, ut experientiæ ipsi contradicere non erubescant: Fermentum hepaticum acini glandulosi, quorum ex aliis Cl. Diemerbrœck mentionem injicit, persuadere potis sunt, propter convenientis humoris confectionem & segregationem, peculiari structurâ & vasis haud dubiè ornati: Neque si hos ignorarem, sententiam ruituram puto, cum multifaria vasorum series, stupidioris quoque ingenii homines præstantiam partis hujus doceat, quam nisi
cæcus,

ecœcus, facilè negabit nemo. Similes *Glandule*, in mammis, Veneris delubro jucundo copiosè comparentes, nobiliori quoque, quàm nudâ colatione, officio eas defungi manifestè comprobant, secus quàm contendunt alii, in colando admodum, si dicere ausim, liberales: Vel solius spiritus nitro-aërei agilitatem & activitatem hi considerent attentius, & nimium nos non dixisse fatebuntur, de quibus autem accuratiora & meliora à te expecto. Coronidis ergò en! historiam tumoris mirandi, quàm olim desiderasti: Adolescens est annorum circiter 20. qui à biennio, tumore utcunque insolito inter cubitum & carpum infestari cepit. Tumor hic primo sui ortu ad tactum erat mollis, coloris lividi: temporis verò tractu, magis magisque secundum omnes sui dimensiones excrevit. Opem à Chirurgis pluribus expetiit miser, sed in cassum, aliis hoc, aliis aliud deblaterantibus, tandem Chirurghi extranei, cujus apud vulgus fama perperam increbuit, curæ se commisit, qui ab initio fungum, (nostri *Gliedschwamm* dicunt) subesse asseruit: Convenit me interea temporis Parisiis reducem Adolescens idem, meamque operam sollicitavit. Exploratis mali causis, quas timidolose satis exposuit, quid mei sit judicii exposui; tumorem nempe lancettâ aliquot in locis incidendum esse, quo de carie ossis, si quæ fortè subsit, certio rem sententiam, ferre liceat, juxta

juxta

Juxtaque medicamentis maturantibus, detergentibus ac putredini resistentibus diligentibus certandum esse &c. quibus si manus dare malum recuset, de amputatione deliberatum iri, me tamen meliora ominari: Nescio, qui interea actum, tumor majores indies radices egit, cum accremento non mediocri, dolor increbuit, mirumque in modum pertinax fuit. Varia usurpata medicamenta, variique excogitati auxiliorum modi, sed frustra, malo ad pristinum semper redeunte, unde Chirurgus de fascino, & nescio, quibus beneficiis tandem rumorem movit, eumque apud plures assensum impetravit, ut Magistratus Ampliss. ad cujus aures eadem pertigerant, Gratiose Facultati Medicæ in Mandatis dederit, studiosè in omnia quæ hætenus per urbem incerto judice volârant inquirendi, suamque de tumore isto, & rebus à Chirurgo, variis vicibus ex eodem extractis, sententiam fideliter ferendi. Cui etiam obsequiosè satisfactum fuit, adscitis hunc ob finem iis, qui Curæ Chirurgicæ aliquoties adfuerant, ut singulorum veritatem meliùs assequerentur. Retulerunt ergo hi ratione profunditatis & exterioris peripheriæ, tumorem hunc esse insignem, perungere ad usque ossa subjacentia, foetorem de se dare ferè intolerabilem: circum circa apparere corpus durum, quod ulnam nostratam in peripheria impleat. Ex ulcere autem ipso emanare copiam mul-

mul-

multam ichoris flavescens foetidi. Cæterum à Chirurgo varia ossicula, quæ cranii reliquias appellârit, fuisse exempta, cum substantiâ quadam crassiusculâ albicante, cerebro haud absimili, plurimaque monstrata tum etiamnum ulceri inhærentia, tum paucis diebus ante ab ipso extracta, inter quæ notatu dignissimum frustum ingens, cranium referens, hoc parte sui superiore manum latitudine æquabat & cuticulâ nigricante obductum erat, parte verò inferiore, ubi oculorum sedem innuebat, perforatum fuisse & nigrum; insuper ultra quinquaginta pelliculas humore plenas, oculorum vitulinorum speciem quadantenus referentes, diversis vicibus illinc exemisse: Quibus prudenter & accuratè pensitatis, tumorem hunc p.n. omnino esse Facultas asseruit. Vale.

Dab. Bas. d. 8. Sept. 1677.

EXERCITATIO IX.

De mammis, & lacte.

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

Suaves sunt literæ tuæ, Hardere amicorum suavissime, quas tanquam pignora amoris magni æstimo. Nuperrime fermentum hepatis, ubi lepôrum Venerumque sedem qui & irarum fontem plerique statuunt excussimus,

mus,

mus, cujus integritas secundæ valetudini firmamento est. Vis nunc à desideriorum officina ista ad amoris organa accedam propius, & quam ratione lac, niveum illud infantium nectar, in mammis conficiatur exponam. Ardua verò explicatu sunt hæc naturæ opera. Mammæ tangunt sane plurimi, nec pauci petulante manu contrectant, omnes etiam manante ex iis lacte recens nati nutrimur: sed pauci modum cognoverunt quo lac emergit & scaturiginem humoris optimi. Ego missis aliorum conjecturis ac opinionibus differentibus, lac è sanguine in mammis parari existimo, adeoque chylo esse quid præstantius, neutiquam chylum. Nam vasa lactea ex abdomine ad mammæ nulla tendunt. Chylus autem ubi intestina mesenteriumque superavit, ad cor commeans mutato nomine vertitur in sanguinem. Apparet ergo materiam lactis esse sanguinem, officinam mammæ, conflatas è glandulis, per quas lac colatur atque fecernitur. Cæterum opificium omne adscribendum esse reor aptatæ huic usui glandularum fabricæ, quam perscrutari difficulter possumus, & fermento singulari seu potius spiritibus animalibus. Dicitur enim vix potest quanta horum ad secretionem peragendas sit potentia. Quando verò iidem spiritus in mammis lac dulce, in hepate amarum fel proliciunt, diversitatis ratio omnino pendet ab organi & glandularum differentia. Structuram

ram

ram autem & configurationem qui contendit
assequi oportet altum sapiat. Mihi satis est
tantisper ire hætenus, dum liceat ulterius.
Vale.

Data Geneva d. II. Sept. 1677.

EXERCITATIO X.

De lacte & hydrope.

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

SUaviter animum refecerunt, quæ de liquo-
re suavissimo ultimæ tuæ attulerunt: Fie-
ri omnino nequit, ut chylo lac non sit præ-
stantius, cum novis organis, decenti configu-
ratione instructis, hoc ipsum separari Deus
naturæ Autor voluerit, quibus utique superse-
dere potuisset, si lac idem, quod chylus esset,
soli hercle ductus chyliferi, quos nonnullo-
rum cerebrum inanes peperit, sufficerent, in
mammas si terminarentur, atque è chylo im-
mediatè lac eliceretur: neque reiteratis par-
ticularum agitationibus & commutationibus.
tantaque nervulorum cohorte, ad chyli in
mammas depositiones opus fuisset, nisi dupli-
cato labore, Naturam ad pristinum regredi
dicere velimus, ita ut ex eodem, è quo san-
guinem modò parârat chylo, in mammas
chylum rursus efficiat, cui autem vel provi-
dentia *illius* laudatissima repugnare videtur.
Cæterùm mitto heic! historiam hydropico
phti-

phthifici, quam cum excell. *Boneto*, cuius *πολυμάθειαν* decenter revereor, communicare poteris: Puer quindecim circiter annorum, ex orphanotrophio, ubi quotidiano labori vacabat, morbo periculose decumbens in Nosotrophium mense Junio currentis anni, sanitatis recuperandæ ergo adductus fuit: Conquerebatur tum præcipuè de sputo sanguinis purulento, difficultate spirandi, siti intensâ & appetitu prostrato, pulsus celer erat, debilis & inæqualis, facies ex subatrâ pallescebat. Utrum pleuritidem præcedaneam passus fuerit nec ne, edoceri distinctè non potui. Sufficere debuerunt peripneumoniæ in Phthisin terminari iucipientis manifesta indicia, unde potionibus pectoralibus, quæ vulnerariæ erant & antiphthificæ, conseruis item roborantibus & adstringentibus, iisque quæ putredini resistunt, certatum fuit unicè, sed in cassum, malo naturam vincente & remedium virtutem turpiter eludente. Involucris, infimi ventris dissectis cum Epiploo, quod putridum erat, deprehendimus *hepar p.* naturalis omnino magnitudinis, parte cavâ corruptum & putrescens, unâ cum vesiculâ fellea, quæ gelatinam referebat: Succus tamen effluens subater erat, viscidiusculus, parum spumosus. In hypochondorio sinistro *Lienem* invenimus tumidum, flaccidum, corruptum & quoad interiorem substantiam nigricantem *Pancreas* sub ventriculo vidimus
maxi-

maximum, glandulis insignibus & duriusculis superbiens. Mesenterium erat gelatinosum omnino, maximè quoad extremitates, quibus intestina cingit: *Gelatinosus hic humor* intestinalium cellularum externam faciem planè cingebat, ipsamque Mesenterii substantiam tantopere occupabat, ut difficilè fuerit omnino, vel vasa vulgò dicta mesenterica, vel, quod plus est, glandulas detegere: In ipsâ hujus ventris capacitate ingens extitit feri copia, quæ integumentis discissis, quâ datâ portâ fugam dare coepit, non tamen ita foetidum, uti in nupero, spirans odorem, Coetera hujus ventris fati ritè habebant: Diaphragmate superato, multum aquei humoris è thorace erupit, neque facilè fuit *Pericardium* à sternò cui firmiter cohærebat absque ruptione separare, in pericardio aquam adhuc copiosam reperimus, quæ autem viâ per thoracem apertâ, versus inferiora vergebat: pulmonum lobus uterque putridus erat & corruptus, præcipuè sinister.

Rem jam pensitem proutcunque velim; videntur in hoc ægro peccasse, Ventriculus, Intestina cum suis glandulis, Pancreas & Cor cum suis partibus ancillantibus potissimum: An verò phtisis demùm post, ex copiâ feri acris & corrupti in thorace stagnantis provenit, suo loco relinquo, id certum est ægrum de tumore ventris ullo querelas nunquam movisse, neque etiam Excell. D. D. *Rothio*

D

(qui

(qui ad Scorbutum & phtisin ipsum inclinare antè jam judicârat,) vel mihi quidquam horum observare licuisse, unde œconomiam vitalem principaliter in hoc laborâsse, quî dubitarem? atque hujus vitio hydropem pectoris suam sumfisse originem firmiter assero. Vale.

Dab. Bas. d. 15. Sept. 1677.

EXERCITATIO X.

De tumore admirando.

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

QUæ olim nobis videbatur alere monstri plurimum nunc minus absurda creditur historia, cujus copiam mihi benevole fecisti. Tumorum verò rariorum generi annumerandam eam esse censeo. A fascino tamen ortus sit an humanis causis me fugit, & tantisper judicare nolo, dum sciam excreti oculi num fuerint legitimi, hoc est tunicis atque humoribus requisitis præditi, an figura duntaxat oculos brutorum simulantia tubercula, qualia sæpè reperiuntur in steatomate. Certè in majus semper res extollere famæ est. A præstigiis si ortum est malum, frustraneus erit in reddendis rationibus aliis labor. Mallem tamen naturales causas admittere, quod fieri posse mihi videtur. Quam enim sæpe miranda corpora formantur in terræ gremio, quot
natu-

naturæ lusus in aquis cernimus? Plantis hercle varii generis tubera innascuntur, ita ut inde quodammodo monstrosæ fiant; & multi tumorum miras figuras brutis hominibusque obortorum pridem descripserunt. Est & ubi ferrum, crines, ligna, panni, alia, in ejusmodi tumoribus inventa leguntur, fascino quidem tanto propiora, quanto sunt magis aliena & remota à ratione & sensibus. Carnem verò cujuscunque configurationis, itemque sevolas massulas milleformes ibidem nasci haut insolitum, quas naturæ potius quam fascino adscripserim, perinde atque illas quarum in historia meministi: nam acida viscosum ferrum sanguinemque varie cogunt, ut sæpe instar lactis coagulet. Oslicula forsàn ulnæ aut radii cariosi schidia partesve fuerunt, siquidem tumor usque ad os penetraverit, quæ cum periosteo sphacelato cranii fragmenta repræsentarunt imperitis; nisi credere vel suspicari malis Chirurgum, ut sententiæ suæ fidem faceret, calvariæ portiones aperto tumori clam intrusisse. Cæterùm in ædibus præceptoris nostri Henrici Glaseri quondam Basileæ virum vidisse memini, maximo & ab occipite in utrumque humerum procumbente steatomate gravatum, in quo plurimas diversæ magnitudinis ac figuræ massulas per cutem rugosam & sacci instar inire amplificatam ipse palpavi, & ex illis potissimum quasdam oblongas, ovo aut testiculo virili similes

vel si mavis oculo. Tumorem tamen incidere aut amputare nemo fuit ausus, ut interiora oculis usurparemus. Nam malum iudicarunt insanabile. In vestro demum juvene, de quo historiam narravisti, & quem sartorem esse aliunde intellexi, fieri omnino potuit ut natura malum sanguinem, quo id genus homines, in otio impuram sedentariamque vitam agentes ferme abundant, ad brachium detruderet, ubi levi fermentatione acescens degeneravit, & pars in tabum pars etiam in steatoma conversa est, quod postea ex nutrimento quotidiano incrementa sumsit. Atque de tumore isto ita ego quidem nunc sentio. Pro altera historia anatomica de puero ascite & phthisi oppresso gratias quoque tibi ago habeoque maximas. Communicabo eam cum Theophilo Boneto, ut anatomia suae practicae inserat. Ratiocinationi tamen tuae non ubique subscribo, & phthisin hydrope priorem fuisse existimo: qua de re alias si vacat pluribus. Vale.

Data Genevæ d. 17. Sept. 1677.

EXERCITATIO XI.

De tumoribus variis & Naturæ lusu.

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

VARIA progigni in corpore nostro, quæ Naturæ luxuriantis foetus esse pernegarent

rent alii, experientia Curiosos docet: Lapidum quos per juxta positionem nutriri communis fert Philosophorum sententia, vel levi accedente impedimento, figuram variè mutari ac inverti, in vulgus etiam notum est. Nec minor ejuscemodi repagulorum vis esse solet, in plantis monstrosis producendis, quam diligentius rimmandam aliis relinquo: quid mirum ergo, si & in nostra corporis machinâ, in primis ubi hæc vitiata fuerit, maxime heterogenea producantur interdum? quæ imperiti, quod talia nunquam viderunt, vel capere non possunt, pro, nescio quibus absurdis venditent. Ex tumore medii femoris, frustum pugno majus, simile pumici, osseum prorsus, prodiisse vidit Celeberr. Wepferus Vester: Ex tumore alio, quem aperuit, pilos oblongos, satis crassos, albos, rubros, nigros, fuscos, unâ cum materiâ caseo Artensi albo simili, idem Vir. Exercitatiss. exemit. Quis autem heic fascino accusârit, vel execrandam Sathanæ illusionem: Ecquidem in excæcandis hominum sensibus multum posse hunc infernalem Deum, non inficior: imbecillæ tamen mentis id ipsum quoque est indicium, in absconditis rerum causis ubi hæremus, vel quidpiam aliud præter morem aut expectationem accidere videmus, si ad p. naturalia statim, imò fascina superstitiosè recurrimus: Ludit natura multifariam, nosque deludit turpiter, nobiliori judicio ejus secreta

D 3

quo-

quoties investigare detrectamus: Ex nostris Asclepiadibus fuerunt plures, qui eandem tecum de nupero *tumore* foverunt sententiam: extiterunt tamen alii, qui pensitatis accuratius omnibus, quæ ab adstantibus observata erant, in naturalibus subsisti minimè posse arbitrati sunt; Etenim ossicula variæ figuræ, ipseque Tumor qui cranium figurâ & duritie æmulabatur, alia omnino persuadebant, inprimis autem materia, quæ in ejus cavitate stabulabatur foetida, cerebro non absimilis: foramina item duo, ex utraque parte, ubi oculorum regia est aliàs, conspicua, & sonus, quem cranio similem putamen hoc percussum edidit, de fascinatione qualicunque suspicionem confirmârunt. Oculos vitulinos quod concernit, optarem ut eorum, cæterorumque examini interesse potuissem, sed alio me fata traxerant, quibus tum obtemperandum fuit utique: Tunicis investitas fuisse, quibus dissectis ichor flavus, foetoris intolerabilis emanârit retulerunt alii, quorum fidem dubiam facere opus non est, præsertim cum Clariss. *Zuingerus* in aureo opere, quod *Vita humane Theatrum* appellavit, variique Jure Consulti, fascinorum hujusmodi exempla plura recenseant. Vale.

Dah. Bas. d. 22. Sept. 1677.

Ex-

EXERCITATIO XI.

*De fascino & hydrope judi-
cium.*

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONR. PEIERUS S. P. D.

DE tumore admirando juvenis vestratis nu-
per judicium tuli, non absolutum: nam
satanae absolutam potestatem tribuere nolui
ubi vel scintilla naturalis rationis affulgeret.
Improbis quoque hominibus in probos per-
mittente Deo, utique multum quandoque po-
testatis est. Imo novimus cacodæmonis ad-
versus Jobum haut pravum machinas. Nec
Servatori nostro pepercit diabolus, quin ho-
dieque fidelibus tanquam leo rugiens infidia-
tur. Fascinis tamen multa passim annume-
rantur à scriptoribus & vulgo, quæ à natura
originem habuerunt. Fascini etiam exfor-
tem juvenem non pronunciarerem, si rationes
quædam aut suspiciones saltem in medium
producerentur, sive à nequitia & impietate
juvenis, seu ab ejusdem commercio aut con-
suetudine cum maleferiatis scelestisque ho-
minibus desumptæ. Quicquid sit, arduum
foret dicere satanae ludibriis calvariaæ huma-
nae substantiam in tumore genitam fuisse. Aut
dæmoni & ejus mancipiis plurimum potesta-
tis est, aut aliæ quærendæ sunt hujus facti cau-
sæ. Etsi autem satius fortasse foret penitus ta-

cuisse & abstrusa hæc alto præteriisse silentio, palmam tamen diabolo non darem. In hominum ventribus ranas, bufones, lacertas, serpentes aliquando genitos fuisse historiae narrant. Hæc vulgo annumerantur præstigiis; sed perperam, cum prudentiores animadvertant id genus bestiolas mortalibus inasci posse ex spermate aut ovis per incuriam haustis. Imo quod magis mirere, existat in ephemeridibus naturæ curiosorum observatio admiranda, de stirpe post deglutitum semen è corpore humano prognata & fruticante. Quis satanæ locum tribuat ubi suus naturæ superest? Non tamen minus monstri aut miraculi exempla hæc alere mihi videntur, quam juvenis vester infortunatus. Quia enim tumor ejus incrementa paulatim sumfit, arbitrabor adhuc eum è naturali quodam semine originem suam traxisse. Mallem autem de invisis non judicare, ne cæcus de coloribus. Forsan etiam prava aut lasciva imaginatio aliquid effecit; nam hujus vires omnino sunt stupendæ, nec ætas ulla juvenili petulantior. Cæterum digna res est, quæ literis consignata posteritati tradatur, & memoriam subeat futuri temporis. Quod alteram historiam attinet, hæreo adhuc in ea sententia, phtisin hydrope fuisse priorem. Nam pueros sine cordis aut pulmonum affectu gravi hydropicos fieri rarum est. Deinde & tu & clarissimus Rothius eum prius scorbuto aut phtisi

phreisi laborare censuistis, quam hydropem dignosceretis, Sed & præcedens pleuritis ac forsan peripneumonia, quid nisi pulmones affectos arguit? Rarum enim hydrophi supervenire pleuritidem legitimam. Præterea aquæ in pericardio & thorace tantum nunquam fuisset collectum iudicio meo, nisi præcordia antea fuissent affecta. Denique sputum sanguineum ac purulentum, respiratio difficilis, & nulla de aquis prementibus aut fluctuantibus ægri querela, omnia inquam signa hæc meam firmant sententiam, sed ita ut nihil plane detractum velim tuis observationibus, quarum inconcussa fides. Nosti enim me non contradicendi libidine agi, sed amicæ exercitationis causa scribere. Vale.

Data Genevæ d. 25, Sept. 1677.

EXERCITATIO XII.

De prostaticis Rupicaprarum, earumque ductibus.

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JAC. HARDERUS S. P. D.

Nisi multorum præceptis, multisque literis mihi ab Adolescentiâ suasissem, nihil esse in vitâ magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem, nunquam Tuas, quas tamen parcius recitavi hætenus, dotes animi extulissem, neque enim blandiri ami-

D 5

cis

cis intempestivè, sed quæ vera sunt, dicere soleo. Optimè egisti, *Pejere* doctissime, quòd Historiæ Med. Anatomicæ nomen invertisti, cùm Oeconomiam vitalem principaliter me accusasse, probè meminerim, ea-que apud me obtineat sententia firmiter, sanguinis vitia instrumentis spiritalibus æque facile communicari & accenseri posse. De Prostatarum usu, quanta sit dissensio inter veteres & Modernorum nonnullos, nôsti probe, neque ut *γλαῦκας Ἀθῆνας*, opus esse arbitror. Ego quod semen sui generis conficiant, & à vasis ejaculatoriis nil quidpiam recipiant, eleganter admodum edoctus fui per genitalia rupicapræ, quæ in Vallesiâ olim cultro examinavi; in quibus præter alia, non solùm egregiè structam, glandulosam hanc carnem contemplari, sed insuper peculiare ductus, utrinque ex hac subortos, inque urethram pergentes notare licuit; vasis ejaculatoriis, quæ subjacebant, liberis omnino existentibus, nullumque commercium cum his habentibus, quo certè manifestum esse puto, humorem sui generis albidum ac subviscidum, qualis in ejaculatoriis rarissimè reperitur, ex convenienti affluente materiâ glandulas istas progenerare ac secernere. In canibus ductus ejuscemodi minus evidentes sunt, utpote circa radicem urethræ locatis; manifesta tamen est ejaculatoriorum in urethrâ terminatio, quam setâ explorare veritatis avidi si voluerint,

rint,

rint, videbunt vicissim, nihil communionis inter vasa dicta & prostatas intercedere, quin notavit Cl. de Graaf, ultra 90. ductus minutos in hisce ipsis, qui omnes liquorem suum ad latera carunculæ magnæ in urethram deponunt, citra hujuscemodi cum deferentibus ullum consortium. In eodem animali Renes succenturiatos, de quibus olim, nucis avellanæ majoris magnitudine lustravi, peculiaribus vasis donatos, & parte interiore porosos, qui pressi succum convenientem stillabant: cui tamen usui hic destinatus sit, decidere nondum ausim. Vale.

Dab. Bas. d. 29. Sept. 1677.

EXERCITATIO XII.

De prostatis.

JOHANNI JACOBO HARDERO
JOH. CONRAD. PEIERUS S. P. D.

Geneva brevi discessurus ad te iterum itumque scribo, ut tantisper vigeat mutua exercitatio, dum locorum intercapedo nos disjungat longius. Egregia est de prostatis rupicaprarum observatio tua, quam experimentis quoque meis confirmare studebo: Nullum equidem masculum animal haftenus vidi vel dissecui prostatis carens. Desunt vero haut raro seminis vesiculæ, præsertim canibus, vulpibus, felibus, aliis. Inde concludo ne-

do necessarii omnino usus partes prostatas esse. Sed & situ quoque & figura easdem in diversis animalibus plurimum variare juxta notavi. Etenim ut ab animalium nobilissimo ordiar, homini eæ arctè & vesiculis spermaticis & deferentibus vasis adhærent. Nihil tamen intercedit commercii: nam prostatae peculiaribus ductibus in urethram sese exonerant. In apro olim vidi prostatas non solum testibus multo majores atque pancreatis instar oblongas, sed etiam à vasis deferentibus & vesiculis planè sejunctas, propriis ductibus excernentibus præditas, & materia tenaci albicante acutissimi vel potius gravissimi odoris scatentes. Nec aliunde sane quam ex ipsismet prostatarum glandulis, quippe & arteria, & vena, & nervo denique instructis, materiam illam glutinosam viscidamque arcescere potuimus: nam aliæ commeatus viæ nullæ apparuerunt. Haut multo post in ædibus paternis mactabatur aries, cui prægrandes etiam prostatas natura donarat, utpote gregis integri viro. Erant hæ itidem ab aliis organis spermaticis omnibus remotæ, farctæ tamen muco viscido & glutinoso, nares acriter feriente. In eodem quoque vasa deferentia à vesiculis integre separare potui, distinctisque sedibus utraque urethram perforare observavi. Apud castores non tantum commercium nullum est prostatarum cum vasis deferentibus, sed etiam partes istæ procul à se invicem distant.

distant.

distant. Adeo ut certum esse mihi videatur in prostatica peculiarem ac sui generis humorem præparari, etiamsi usus ejus foret ambiguus. Whartono tamen haut difficulter ad stipularer, qui prostaticarum humorem spermatici æquiparavit, atque etiam ad generationem conspirare credidit, si quæ autoritas esset autoritatibus. Plura id genus experimenta inclytus Wepferus noster Ephemerid. nat. curios. Anno III. obs. CLXVII. memoriæ prodidit lectione dignissima. Vale.

Data Genève d. 1. Octobr. 1677.

EXERCITATIO XIII.

*De opere Physiologico & Stranguriâ
dysenteria superveniente.*

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JACOBUS HARDERÛS S.P.D.

Quoniam res humanæ fragiles, caducæque sunt, semper aliqui acquirendi sunt, quos diligamus, & à quibus diligamur, charitate enim benevolentiaque sublata, omnis è vitâ est sublata jucunditas. Mihi equidem, Pejere, quamvis eripiaris, longinquo quod instituere cogitas itinere, vives tamen, vivesque semper, cum tuam semper virtutem amârim, & affectum, quo pariter me prosequeris, exosculatus sim quotidie: Indicio erit opusculum Physiologicum, cui erudita tua, qui-

quibus animadversiones nostras de Prostatis, confirmare voluisti benevolè, experimenta, tanquam pretiosas Margaritas, inferere aliquando constitui, quo & alii videant fervere amorem mutuum, ac necessariam *συμφωνίαν*, avem hoc sæculo aliàs rarissimam, nullâ locorum intercapedine emortuam apud nos fuisse. Tuum erit hinc curare, ut ubi locorum sis, resciam semper, ac amici favoris fructus aliquos reportem. A' Cl. *Muralto* audivi nuper, quàm egregiè & artificiosè, è foeminae moribundæ utero placentam extraxerit, hacque operâ auram vitalem, quam prius hauserat difficulter, redire fecerit. Ego hac septimanâ medelam paravi stranguriæ maximè dolorosæ, quæ in Viro Sexagenario, Dysentericiæ exquisitæ supervenit, quam sexti paris fibræ nerveis, quæ vesicæ cervicem ornant, ab heterogeneo irritatis, potissimum adscripsi, tale siquidem est *μίσμα* dysentericum, quod aliquos, non ita pridem, vitæ etiam dispendio affecit, & in præf. decrepito, tenesinum satis notabilem itidem peperit, qui tamen medicamentorum demulcentium convenienti usu, paulatim cessavit. Ex hinc quanta sit nervosi generis invicem *συμπάθεια* & concentus, patet, quem nephritici vomituriens non sine dolore experiuntur haudrærenter: nec minus evidēs est spirituum mutua conspiratio, & materiæ impetuosa in partes nerveas vel membraneas actio. Utrum

inte-

intestini recti distensio, per vesicæ superjacentis compressionem, malo isti adjumento esse potuerit, alii judici relinquo, qui consensum distinctius non intellexerit. Vale.

Dabam Bas. d. 6. Octobr. 1677.

EXERCITATIO XIII.

*Physiologia perficienda, Stranguria
post dysenteriam, consensus par-*
tium.

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

TE in physiologia & cognitione corporis humani vires tuas experiri cum gaudio intellexi. Campum exercendi ingenii habes amplissimum. Peccant plerique excessu aut defectu. Utinam exurgat tandem aliquando qui ad temperiem cuncta revocet & cogat in ordinem dispersa rudera. Sed talia optare facilius est quam sperare, præstare difficilimum; ob artificii subtilitatem enim & rerum operationumque varietatem inexhaustam rem inchoatam sæpe destituimus inviti, neque scopum assequimur. Si quid tamen exercitationes meas valere posse existimas, auxilium tibi pro virili parte spondeo. Nec repagulo erunt intervalla locorum, quibus disjungimur: nam mente conspirabimus & epistolis, disjuncti licet corpore. De secundis

dinas

dinis feliciter extractis, & matre sic à præsentì vitæ periculo vindicata historiam Muraltus pridem quoque ad me perscripsit, optandumque foret ut ægre parturientes se peritis medicis & chirurgis libentius quam mulierculis & imperitis obstetricibus crederent. Quam verò sexagenarii viri dysenteriaë exquisitaë supervenisse memoras stranguria, manifesto indicio causaë dysenteriam patientis genium & naturam prodere mihi videtur, sicutam in tenui & acerrimo sale, ceu id olim explicuimus. In agro autem isto dysenteriaë causa dici potest vel cantharidum acritudinem induisse, quarum subtili acutoque sale tanta est penetrandi ac rodendi vis, ut in emplastris extrinsecus & remotissimis locis adnotæ sæpe vesicam urinariam afficiant, atque obortu pruritu & ardore stranguriam excitent; uti id cum ipsi sane accidisse vidimus, tum ab aliis annotatum legimus. Deinde constat etiam per anamomen & ægrorum querelas in dysenteria ac tenesmo intestina inflammari. Quod si ergo senis istius intestinum rectum similiter affectum subsumamus, facile patebit vesicam urinariam inde quoque potuisse affligi, propter viciniam & fibras ad cervicem ejus protensas. Atque hæc sane altera stranguriaë causa esse potuit. Sed & admirandus spirituum animalium nervorumque consensus in his casibus plurimum valet, ita ut spasmi & convulsiones unius partis corripiant identidem

dem

dem vicinas partes nervosas alias. De consensione illa elegantissimè ut omnia Hippocrates libro de locis in homine: Ὅποιόν ἄντι πάθη τῷ σώματι τὸ σμικρότατον, ἐπιναφέρει πρὸς τὴν ὁμοεθνήν, ἕκαστον πρὸς τὴν ἑωυτῷ, ἦντε κακὸν ἦντε ἀγαθὸν ἢ. καὶ διὰ ταῦτα καὶ ἀλγεία καὶ ἡδίετα ὑπὸ ἔθνεσσι τῷ σμικροτάτῳ τὸ σῶμα. Vale.

Dab. Geneva d. 9. Octobris 1677.

EXERCITATIO XIV.

De Physiologiâ adornandâ & cordis ac sanguinis motu.

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

DE Tuâ quam hesternæ pollicitæ sunt, in conficiundâ Physiologiâ operâ plurimum mihi gratulor, fidemque amicam, cujus hoc ipso symbolum sistis elegantissimū, amplector hilaris: utinam modò eæ nobis adessent vires, quæ labori huic dignè exantlando sufficerent, Virorumque Eruditorum vota implerent! Quantum sit, quod aggrediento pensum novi, neque mihi blandior adeò, ut putem unius hominis esse, vel ætatis opus hujuscemodi omnibus numeris absolutum edere: Artis longitudo & vitæ brevitæ, ipsi Hippocrati hujus difficultatem dictârunt, qui tamen ingenio præ aliis emicuit: Inficiari quidem non possum circa hanc Medicinæ partem, ingeniosè & perfectè exstruendam desudâsse plures Artis nostræ Apollines,

E

lines,

lines, multamque reportasse Nominis famam: eam tamen feliciter absolvisse, vel omnium desideriiis satisfecisse, facile dicet nemo, unde de nostris conatibus quod sperandum sit iudicium, merito ambiguus sum, cum non minus varient sententiae, vel hominum luxurient ingenia hoc seculo, dum aliqui veteres orci damnant, praeterque Recentiorum inventa nil quidquam valere jubent, alii autem Neotericorum diligentiam rident & impetuoso pruritu quaecunque ipsorum dogmata, ex *αυτοψία* licet petita adscribunt: Nihilominus mercede aliquam conatus istiusmodi dignos habitum iri, arbitror vel ob id ipsum, quod medium amare instituimus, & neutri parti citra necessitatem nimium assentari: *Glaserus* quondam noster, cujus vestigia premere gloriosum ducimus, de tali opere valde fuit sollicitus, quod & veritati ac experientiae literet, juxtaque Veterum honorem, amicam reconciliatione, sicubi fieri posset, salvum presteret: ast praecociori morte abreptus, quod maximè in votis habebat, assequi non potuit, mihi sufficiet singula succinctè dicere ac distinctè, Medicoque studio addictis, liberè ut de omnibus sentiant permittere: *πάντα δε μετὰ καρῆς*: Celeberr. *Boneti* epistolio nuper beatus fui, cui etiam responsorias reposui: Maximopere sibi Orbem Medicum vir hic devinciet, ubi Anatomem Practicam, cujus specimen aliquod vidi suo Authore dignissimum,

mum,

mum, Eruditis propediem donarit. De motu cordis arteriarumque multa ab aliquo tempore ruminavi: Violentum illum esse volunt nonnulli, quorum scientiam venerari magis, quam explodere fas est. Ni tamen se explicuerint clarius, ad stipulari non possum, cum nullum violentum sit diuturnum: Impulsio equidem ipsa, vim quandam sapit, at num talis hæc sit, quæ in naturæ destructionem tendat, qui violenti genius est; dubito vehementer, siquidem hoc ipso motu vita nostra stat & absolvitur. Vale.

Dab. Basil. d. 12. Octobr. 1677.

EXERCITATIO XIV.

*De motu cordis & sanguinis, deq;
ignivomo circumforaneo.*

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

IN Physiologia Glaferi methodus mihi non displicet, quanquam haut ignorem hunc præceptorem nostrum quondam optimum & fidelissimū aliquot sententias fovisse, quas plures hodie vix ac ne vix quidē probabunt. Quæ cum tibi quoque nota sint atque perspecta, hortor ad justam temperiem sic cuncta redigas exigasque æquanimiter, ut cum priscorum honor illibatus tum recentium laus facta rectaque maneat. Quæris an sanguinis motus in arteriis sit violentus? Mihi videtur

E 2

ipsum

ipsum pulsus nomen violenti quid significare: cogitur enim quod pellitur. Ut autem cogas, vi opus est. Sanguinem igitur à corde in arterias & per has in univèrsùm corpus cum impetu diffundi credimus. Et cordis tamen & sanguinis motus etiam dici potest naturalis, utpote à natura ad conservandam vitam animalis institutus. Quoniam autem sanguis in singula membra suapte haut excurreret, nec ipse à partibus uti quidam è priscis voluere attrahitur, recte omnino cordis & arteriarum vi impelli dicitur. Sed regebris: nullum violentum est diuturnum. Regulæ distinctionem & exceptionem adhibe & res salva erit. Ex terra plantæ arboresque vi protruduntur in altum, duraturæ per seculum, Flumina item & fontes videas sine fine salientes, quorum motus meo iudicio à causa externa est. In automatisannon violentum simulque diuturnum quoque motum cernimus? Profecto vita nostra nisi violentis esset motibus obnoxia, non ita morbis ac morte subinde destrueretur. Est & alius motus intestinalis particularum sanguinis in arteriis, sed non usque adeò violentus, atque est alter, de quo ante diximus. Omnem tamen motum in rerum natura suo modo violentum esse iudico. Præterito mense circumforaneum hic Genevæ vidi Anglum, qui ignem variè tractabat & devorabat. Prunas enim nunc simplices, modò sulphure insperso vehementius accen-

accen-

accensas ori ingessit, dentibusque comminutas deglutiit. Idem candens ferramentum sine noxa linguæ exsertæ admovit celerrimè. Insuper ceram communem, picem, sulphur, ceramque quam vocant Hispanicam, mixta liquata & accensa omnia fumo & flamma è faucibus prodeunte absumsit. Res infueta nonnullis miraculo fuit, imò stupori: quidam dæmonis ope id ita fieri apertè clamarunt. Aliqui siugulari medicamento linguam & fauces contra vim ignis munienti palmam tribuerunt, sed nemini visè aut comperto. Prudentiores mecum ex Hippocrate edocti, consuetudini plurimum hic tribuendum esse existimaverunt. Ludunt multi, sed non pauci dum ludunt luduntur. Nos seria malumus, & pluris facimus, quam id genus ludicra; etiamsi nec abhoremus à festivis & honestis curiositatibus. Constitui apud animum meum de hydropis (patriæ meæ admodum frequentis mali) ortu & natura quædam conscribere per otium, cùm plura morbo isto confectorum cadavera dissecauerim, & multa notatu memoriaque dignissima observaverim, aliis etiam quod spero usui futura. Basin experimenta ponunt & anatome, cui fundamento reliquum structuræ inædificabo. Vale.

Dabam Geneva d. 15. & 22. Octobr. 1677.

EXERCITATIO XV.

De motu cordis & sanguinis.

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACHARDERUS S. P. D.

Tua circa Sanguinis motum meletemata erudita sunt, neque ijs refragari possum, modò in hoc sensu ab aliis quoque sumatur *Violenti* vox; sanguinis circulus, naturæ artificium laudatissimum, abominationi adhuc est non paucis, qui motum hujusmodi asserunt nihilominus: In venis pulsus hic minùs evidens est, nec palpabilis; est tamen particularum se invicem loco pellentium, continua motitatio, qualem animadvertimus in plantarum nutritione, ubi succus nutritius ad usque summos apices ascendere necesse habet; Aëreae particulæ continuo motu nunc sursum nunc deorsum vergunt, atque ob fugam vacui, tantùm non ubicunque sunt: motus sursum, quod leves sunt, si communem audimus sententiam, naturalis ipsis est, motus verò deorsum, in naturæ bonum, corporumque emolumentum, præcipuè viventium, collimans unicè, num violentus dici queat, voce hâc pressè sumptâ, ambigo: Monstrorum generatio, quæ satis frequens est quandoque, Naturam non pessumdat, licet præter hujus intentionem accidat: qui ergo machinam nostram è suâ *Libertate* dejiceret

pulsus

pulsus sanguinis ac spirituum vitalium versus singulas partes, à Deo Naturæ authore sagacissimo, prudenter viventibus inditus? cum hoc tantisper deficiente, in deterius ruat sensim corporis vita: A violentis agitationibus massam humoralem non vindicabo: patent illæ plusquam satis in affectuum graviore æstu, at hæ ipsæ, quod motum fluidi naturalem pervertunt, morborum variorum, tandemque ipsissimæ mortis causa existunt, neque putârim, motum hunc desitutum unquam, nisi particulæ mobiles cum spirituum consortio defecerint: sed ad Ignivomum: Mirari subit, qui carbones ignitos, aliaque urentia, linguæ cujus molestias exquisitissimè sentit anima, imponere potuerit; Consuetudini suam heic præmium non incertum faciam, id scio tamen, solere hujus farinae homines, mucilaginosas aliisque partes has præmunire, ut ignis spicula eò minus experiantur. Vale.

Dab. Bas. d. 26. Octob. 1677.

EXERCITATIO XV.

Animalium ova vindicata, methodus historiarum anatomico medicarum, ruminantia, pleuriticus dissectus, & polypus cordis.

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONR. PEIERUS S.P.D.

E 4

Pari-

PARISIIS nunc ad te scribo, ex illa Galliaë
 metropoli vastissima & rerum omnium
 clarissimo emporio, ne calamum meum in-
 geniumque non exerceam, vel tu ignores ubi
 terrarum degam. Apud eximium virum Jo-
 sephum Du Verney, anatomicum regium,
 experimentis variis incumbo, præcipue ad
 demonstrandam hominis & animalium ge-
 nerationem ex ovo facientibus, quam Lami-
 us medicus & professor Parisiensis nuper edi-
 to libello Gallico ceu ridiculam ac ineptam
 traducere, luci tenebras offundens haut eru-
 buit, spretis Stenonis, Kerckringii, Svva-
 merdamii, Graafiique experimentis omni
 laude perpetuaque memoria dignissimis,
 itemque Mauricæus chirurgus in tertia edi-
 tione libri sui præclari de mulierum gravi-
 darum & puerperarum morbis, c. II. & pas-
 sim alibi, posthabito veritatis oraculo. De
 methodo quinetiam historiarum anatomi-
 carum & medicarum. Clarissimi Duvernii
 hortatu primum à me conscripta atque sin-
 gulari exemplo illustrata quædam Lutetiaë
 edita jam sunt, quæ tibi mitto, rogans ut bo-
 ni consulas tanto magis & facilius, quanto cer-
 tius nosti ætatem meam gerendis rebus ardu-
 is adhuc esse inferiorem. Laudabile semper
 existimavi aliquid agere potius & vires qua-
 cunque in re experiri, quam otio & inertia
 torpescere, cum turpe vitium sit ignavia, ni-
 hilque pejus ignorante ac inexperto medico.

Malui

Malui ergo succifivas quasdam horulas, quas alii lusu contererent aut libidine vesana perderent, honestæ exercitationi impendere, ut humeri mei ferendis majoribus paulatim assuescerent, & usu ipso cresceret vis ingenii, quo ad artem medicam sane opus est maximo. Hunc in finem etiam de ruminantibus observationes conscribere decrevi, ne unquam sim otiosus, ac exponere admirandam ventriculorum fabricam singulari libro, quem fortunante Deo futuris temporibus vulgabo. An lepores & cuniculi verè ruminent, experientiam tuam aliorumque quos tu nosti consulo. Constat sacer textus Levit. XI. Aliis tamen obstare videtur ventriculi simplicitas. Sed anatome & experientia me jam docuit ad ruminandum ventriculorum pluralitatem non semper requiri, nec absolute necessariam esse, cum ruminatio perinde fieri possit in simplici ventriculo atque fit in multiplici, Oro te quoque ut mihi describas rupicaprarum ventriculos: nam olim in Vallesia viscera earum tibi perspecta fuisse memini. Thom. Bartholinus cent. II. histor. anat. XLIX. unius tantum ventriculi rotundi & cellulis distincti mentionem facit, at G. Hieron. Velschius dissert. de ægagrop. plurium. Hic nulla experimentum capiendi mihi est occasio, quia rarum his terris animal. Si quæ demum alia de ruminantibus habes memorabilia, eorum similiter fac quæ-

E s fo

so me participem. Haut ita pridem pleuritis in peripneumoniam mutata horti regii præfectum reique herbariæ peritissimum Nicolaum Marschandum sexagonarium, attamen robustum & torosum, è vivis sustulit, cujus cadaver propinquis flagitantibus in horto regio dissecui. Sinistro lateri, ubi viguerat dolor, pulmo adhæsit conglutinante muco tenaci & viscido, qualis ferme pleuriticorum missum sanguinem obducit, diverso tamen à pure. Ibidem pulmo etiam lividus apparuit à restagnante & accenso sanguine, quo ipsa quoque thoracis membrana pleura hinc inde turgēbat. Cordi inerant utrinque magni & tenaces polypi, adipis frustra mentientes, quos ægro adhuc vivente genitos fuisse judico, quia ultimis diebus pulsus valde debilis & inæqualis suberrasse dicitur: nam Kerckringio nondum assentior, neganti polypos vivente & pulsante corde generari, uti ex methodi histor. anat. medic. cap. VI. perspicies. Cæterum cùm polypi fiant acescente sanguine, uti aliis experimentis id facile probari potest, morbis istis non adhibenda erunt à medicis medicamenta acida, sed penitus contraria, hoc est ea quæ sanguinem ab acore & concretionē liberent. Vale.

Date Parisiis mense Majo 1678.

Ex-

EXERCITATIO XVI.

*Hepar magnum, Uteri succus,
Luminantia.*

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

VEniam dabis tardiori, qui hesternâ demum die, & quidem ex literis Excell. SPONY rescivi, ubi locorum degeres, unde quamvis cupierim vehementer, citius tamen ad tuas respondere non potui. Priores meæ, quibus defraudatum fuisse Te, non vanè auguror, nuntiârunt Promotionem meam, quam Deo propitio & faventibus Academiae Proceribus haud ita pridem obtinui, quamq; non injucundam fore, amicitiae pollicentur leges: Tractatum tuum Eximio Viro D. DÜVERNEY sacrum Te fecisse gaudeo, cum multum laudis gloriaeque exinde promereri queas; novi enim Virum hunc & de Nomine & famâ Clarissimum, sæpiusque illius benevolentiam deprædicare audivi BRUNNERUM & HARDERUM vestrates: quod si nostra studia viri hujus amicitia itidem digna iudices, officiosa obsequia eidem nostro nomine offerre non gravaberis. *Mauricæum* Chirurgum ova foeminino sexui pernegare sæpius jam miratus sum, cum de hujus genitalibus alias erudite & nervosè scripserit: Ego reperisse ipsum ova crediderim tandem, sed
 quie

quia primâ & secundâ libri editione, eorum
 existentiam dubiam fecit, noluisse dehinc ve-
 ritati litare & à sententiâ semel propalatâ de-
 clinare, id quod multis cum ipso solenne ef-
 fe video : Nuper cadaver puerperæ 14. die-
 rum secui, in quo præter occultum hydro-
 pem, hepar tam immensæ magnitudinis a-
 nimadvertimus, ut hominum fidem ferè su-
 peraret: latitudini ejus comprehendendæ, u-
 traque manus mea minimè sufficiebat, mul-
 tò minùs longitudini ejusdem : dimidian
 ventriculi partem exactè occupabat, & ultra
 Renis dextri regionem protendebatur, du-
 rum fuit insuper, variisq̃ue in partibus pu-
 truit : Uteri substantia interior, lochiorum
 partem adhuc aliquam exhibuit, cæterùm
 porosa multùm & spongiosa, unde etiam è
 poris hisce pressis, humiditas copiosa exstil-
 lavit, quid de hac sentire debeam & num suc-
 ci nutritii portio aliqua residua fuerit, dubi-
 us hæreo? Ovarium studiosius lustrare ob
 tempestatem horrendam & summum fœto-
 rem, prohibiti fuimus : De Ruminantibus
 quidquid habuero, lubens impertiam, ut co-
 natus tuos laudatissimos, quantum quidem in
 me erit, quomodocunque juvem. In rupica-
 præ ventriculorum structuram sub incudem
 revocare non licuit, quum animalia hæc se-
 mel à venatoribus ic̃ta statim exenterentur
 ipso in loco, præterq̃ue Renes & genitalia ex
 parte, in abdomine nihil quidquam relinqua-
 tur,

tur, nullus tamen dubito, quin tot ventriculis donentur, quot capræ nostrates, ut pote hisce in aliis omnibus perquam similes. Vale.

Data Basil. d. 13. Julij 1678.

EXERCITATIO XVI.

Testiculi muliebres. Hydrops ascites.

Hepar magnum. Uteri succus & cotyledones.

*Mulier Tolosana diutissime pregnant,
fœtu extra uterum.*

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

Recuperata sanitas & promotio tua me valde exhilarant, atque ut firma fausta-que sit utraque precor. Imprimis autem gaudeo te redditum esse nostris exercitationibus, quas & animi gratia, ut subinde reficeremur curis defatigati majoribus, & utilitatis causa suscepimus. Puerperæ fatum è tuis intellexi, plurimumque lucis rebus nostris affundere potuisses, si muliebres testiculos, vel potius ovarium, erudito penicillo tuo accurate depinxisses, gnarus nos de generatione hominis ex ovo vindicanda esse sollicitos. Raro hercle puerperas dissecandi offert se occasio, rarius mulieres gravidas. Fridericus Ruyschius in testiculo puerperæ patulum foramen sive hiatus observavit, per quem humanum ovum transierat. Talem quoque rimam in cadavere infanticidæ decollatæ se vidisse inclytus Wepferus noster mihi

mihi nuper scripsit. Nos in vaccis, damis,
 & ovibus similiter tubercula & scrobiculos
 illos sæpe conspeximus atque palpavimus,
 qui sinu suo prius ova complectebantur quã
 ad uterum descenderent: omnium autem
 pulcherrime hæc iterum iterumque collu-
 stravimus in scrofis, ubi in admirationem
 quandoque rapti fuimus spectaculi præstan-
 tia. Æquali pol auri pondere abs te dissectæ
 puerperæ testiculos redimeret Du Vernius, si
 eos obtinere salvos posset & incolumes. Nam
 id unum deest nobis ad perfectionem operis,
 Testiculorum foemininorum neglectus mul-
 tum quoque detrimenti ac erroris Harvæo,
 insigni illi & præstanti viro attulit, fecitque
 nos cautiores. Hydropem cujus mentionem
 facis, asciten fuisse reputo. Thoracem enim
 & ejus viscera silentio præteris, abdomini ceu
 loco principaliter affecto inhærens. Vastæ
 molis hepar corruptum illi producendo fuit
 aptissimum. An verò cor & pulmones sine
 omni vitio extiterint addubito. Docet nam-
 que usus & experientia hepatis solius affe-
 ctione minus frequenter hydropem nasci,
 quam pulmonum & cordis labe conjuncta.
 In cadavere virginis ab Henrico Glatero præ-
 ceptore nostro quondam publice deartuata,
 hepar vidisse memini tantæ magnitudinis, ut
 non solum dextrum hypochondrium occu-
 paret, sed etiam sinistri maximam partem
 impleret, idque laudabili substantia prædi-
 tum,

tum,

tum, nec induratum. Quam ex uteri substantia porosa expressisti humiditas mihi videtur residuum fuisse illius succi, qui per placentam ab utero ad foetum commens nutriendo embryoni deservit. Talem succum cotyledones uteri ovilli etiam à partu copiose fundunt, si dissectæ premantur. Cotyledones ejusmodi mulieribus quidem non sunt, at habent eam tamen aliud organum analogum, cui placenta adhærescit & quo secretio peragitur. Miram de fœmina quadam Tolosana historiam hic narrant: nimirum gravidam fuisse inde ab anno quinquagesimo secundo usque ad septuagesimum octavum hujus seculi, hoc est totis viginti quinque annis, nec peperisse; in demortua tandem latuisse infantem extra matricem in cavitate abdominis, nulla putredine corruptum. Ita non desinit natura interdum ea producere, quæ philosophorum medicorumque mentem & artem perpetuo exercent. Vale.

Dab. Lutetia Parisiorum d. 29. Julii 1678.

EXERCITATIO XVII.

*Ventriculorum hircinorum structura.
Cuniculorum & leporum
ruminatio.*

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

Tua in explorandis Naturæ abditis à xxi.
Cera, rara est, æternâque memoriâ digna,
quam

quam merito mecum venerantur Artis nostrę
 focii: rarus quoque tuus erga nos amor, quo
 pellectus in eleganti tuâ Methodo, Nomini i-
 gnoto locum concessisti, sicque stimulũ addi-
 disti in publicũ liberius prodeundi: Occasio-
 nem ratam habebō & ubi idoneam studiis no-
 stris maturitatem adesse videro, qualescunque
 foetus publicę luci sistere non detractabo.
 Mitto heic quę in hirco majore, quem virum
 gregis Poëta appellitat, ratione ventriculo-
 rum pronuper deprehendi. Jussi duabus ho-
 ris ante maetationem pabulum sufficienti co-
 piã ipsi exhibere, hincque gulam unã cum
 ventriculis & portione duodeni eximere,
 ut eò diligentius examinare possem omnia,
 ac distinctius, primo autem intuitu ob-
 tulerunt se ventriculi quatuor, maximus u-
 nus, reliqui minores: secundus primo s.
 magno validè adhæsit, & tertius secundo;
 quartus autem à tertio progrediens, cum in-
 testino duodeno continuabatur: Ventriculus
 primus quoad faciem exteriorē elegantis-
 simis vasis erat instructus, interius verò her-
 bis partim digestis partim crudis, inque fer-
 mentationis pugnã existentibus scatebat; imò
 innatabant hæ liquori cuidam turbido, cum
 ipsis graviter satis olenti, indicio haud dubiè
 primum fermentationis certamen heic sub-
 iisse: Ejectis hisce ventriculi interiora rugo-
 sa apparuerunt, infinitis donata denticulis,
 molliusculè asperis, latis & oblongis, quibus
 juxta

juxta alii aderant minores. Cellulas quin etiam ad majorem capacitatem habuit insignes, una cum ductu in ventriculum tertium, qui cum secundo ipsi communis est: In ventriculo secundo, quem reticulum vocari posse auzumo, omnia magis erant digesta, materiaeque liquidæ & suaveolentis quàm crassioris copia major: Cellulis donabatur hic sexangularibus, similiter denticulis ornatis, sed minoribus, magisque acutis: Ad finem ejus & initium tertii valvulam reperi majusculam, regressui ingestorum prohibendo dubio procul mancipatam: E' ventriculo tertio ductum versus quartum tendentem monstravi, quem itidem circa finem valvula major excepit: Habebat ille cellulas plures semilunares, majores & minores, quas alii membranas nominant, & folia membranacea: continebatur in iis materia quædam sicca & exucca instar herbarum minutim contritarum, fortiori que expressione, omni humiditate destitutarum. Numerare licuit cellularum harum, ex unâ quidem parte ultra decem, ex alterâ autem ultra octo, præter semilunares minores, ad radices uniuscujusque harum sitas. In ventriculo quarto, animadverti similia folia, copiosa satis, sed nec ita membranæa, neque aspera vel hirsuta, quin imo lubrica, parte hujus in primis superiore, pars enim inferior plicis constitit plurimis, quibus etiam humani ventriculi gaudent: Juxta hæc

F

plures

plures glandulæ albicantes & rotundæ conspiciebantur, quarum unaquæque foraminulo prædita erat, quod setæ introitum facile concessit: Pressæ hæ, liquorem stillabant, quem ego quidem subalbidum esse censeo; talem nihilominus fuisse certò non pronuntio, donec crebriori experientiâ illud edocear. Cuniculos & lepores ruminari S. S. expressis verbis asserit, neque si res haberet aliter, inter cibos, quos comedere Populo Judaico licitum fuit, numerarentur: Hoc mihi rescire licuit à multis, qui vel cuniculos alunt, vel olim lepusculis delectati sunt, animalia ista post pastum triturare semper, id quod idiomate nostro **widerkäuen**/latinè autem, *ruminare* appellamus: inquiram tamen in singula accuratius, utque certius quid delibare queam annitar. Vale.

Dab. Basil. d. 27. Julii 1678.

P. S. Dum hæc festino calamo configno, affertur cuniculus, ore adhuc dum triturans, quem paucis horis antè pabulum assumfisse, ex ventriculo, ingestis adhuc dum referto, collegi: Anatomie hujus præsentè affine meo Ritziò, Pharmacopolâ me accinxi: & Ventriculum exactius lustravi: Erat hic semilunaris figuræ, herbis distentus, in cujus medium ferè inferebatur œsophagus oblongus, sed angustus & tenuis, parumque vel nihil carnosus: Ventriculus ipse, (a cujus latere conspicuum fuit hepar rutilum, quinque con-

stans

stans lobis, quorum minimus huic ope membranulæ adnectebatur) in duos quasi se dividere videbatur, majorem unum, minorem alterum: neque spes fefellit, siquidem factâ sectione ope scalpelli, parte inferiore, quâ pylorum versus pergit, insigne licuit reperire interstitium, instar valvulæ majoris erectæ, quam dehinc excepit cavitas notabilis: Contenta in hâc odoris erât fermentacei instar vappæ vini, laporis salini & amarescentis, coloris viridis: quoad consistentiam verò sicca omnino, secus quàm illa, quæ in ventriculo majore s. superiore parte stabulabantur, utpote quæ ejusdem quamvis odoris, consistentiâ tamen, tota liquida fuerunt.

EXERCITATIO XVII.

*Cuniculorum & insectorum rumi-
minatio. Lympha vasa & ortus. Microscopium
novum. Intestinorum nodi ex anatome
pueri.*

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

Nondum est mihi matura ætas, nec fructus proferre possum qui tantas laudes mereantur, quantas mihi tribuis. De cuniculis quæ significasti perplacent. Vellem tamen adhuc explorares manu collo illorum admota, num tritulantibus alimentum per gulam in os verè ascendat. Id enim adderet rei pon-

F 2 dus

dus maximum. Stabo vero utique pro sacris
 literis. De insectorum ruminacione supersunt
 multa dubia, etiamsi plurima illorum variè
 perlustraverim. Mirabilis herclè etiam hic
 ventriculorum diversitas & apparatus cerni-
 tur, præcipuè in gryllo & Imperati talpa,
 quam alii composita voce gryllo talpam no-
 minant. Refert Oligerus Jacobæus Act. Haf-
 nienf. Thom. Bartholini Volum. IV. obs. II. à
 Syvammerdamio locustis ruminacionem ad-
 scribi. Gratias demum ago tibi quoque pro
 observationibus tuis de ventriculis hircinis.
 Præter externam internamque eorumfaciem,
 potissimum etiam ob oculos ponere conabor
 elegantem fibrarum moventium fabricam
 & apparatus. Id enim maximi ad explican-
 dam ruminacionem momenti est, quam ope
 spirituum animalium cieri arbitror. Quin i-
 mo numerosa plane sunt ventriculis rumi-
 nantium lymphæ vasa: nec tamen adeo feli-
 cem esse mihi contigit, ut conglobatas glan-
 dulas ibidem detegerem, etiam microscopio
 adhibito. Ferme adducor ut vasorum lym-
 phæ ortum è glandulis conglobatis in du-
 bium revocem. Nam quotquot ex his ma-
 nifestæ sunt prius admittunt lymphæ vasa, a-
 liunde venientia, quam emittunt; perinde
 atque glandulæ mesenterii venas lacteas
 transmittunt, quarum origo illæ non sunt.
 Sed hæc velut in transcurso ac obiter. Verfa-
 tur hic juvenis Belga matheseos peritus, cui
 novum

novum

novum microscopium aciei tantæ ut vel minutissima demonstret. Piperis granum in aqua detritum & maceratum immanem vermium copiam prodere inde compertum est, quod ego tamen ipse nondum vidi. Bellariorum loco hanc accipe historiam anatomico-medica. Puer undecennis vividus & alacris, egregiis natus parentibus & laute habitus, præterito mense ex esu fructuum vomitu tentatus est alviq̄ue torminibus. Mox secuta febris & magnus capitis dolor. Parentes metuebant abscessum cerebri, quibus id genus morbi effluente per aures sanie aliquot liberos sustulerat. Consultus medicus Parisiensis ipsis familiaris, interna & externa varia præscribit & capiti nequicquam dicat. Tandem æger nono die sopore correptus in lethargum degenerante exspirat. Demortui cadaver parentes disseccari voluerunt à Josepho du Vernio anatomico regio & amico meo singulari, quo præsentem dissectionem ego administravi. Demta calvaria nullum abscessum in cerebro usquam invenimus. Nec talis erat cerebri cortex qualem Willisius in pathologia lethargicorum descripsit. Salva enim omnia apparuerunt. Attamen ad basin cerebri circa medullam oblongatam & spinalem, serum flavescens stagnabat, quo cochlearia argentea tria implevimus. Tenuia intestina quatuor distinctis in locis nodosa fuerunt. Configuratio autem nodorum talis: coarctata inte-

stini tenuis portio triuncialis vicinam partem
 intestini dilatati intraverat, ita ut ibi tanquam
 limax in domuncula sua latitaret aut veluti
 in vagina gladius. Intestina etiam è latibulis
 istis nisi vi quadam extrahi, nodive solvi non
 potuerunt. Aberat tamen inflammatio.
 Tertium nunc observavi tales intestinorum
 nodos. Duo enim exempla in exercitatione
 de gland. intest. retuli. Scholium non addo,
 ne noctuas Athenas. Vale.

Dab. Parisiis mense Augusto 1678.

EXERCITATIO XVIII.

*Leporum & cochlearum ruminatio
 ac ventriculi.*

JOH. CONRADO PEIERO
 JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

LAbores nostri, quos novi quàm sint exi-
 gui, multam gratiam apud Te mereri non
 potuerunt, cum nec tuis officiis, minus alio-
 rum expectationi ipsos respondere libenter
 agnoscam, unde haud ægrè feres, si in laude
 Amicitiae nostrae nimium Te fuisse dixero; Eò
 tamen annitar, ut majori jucunditate afficiant
 indies, talesque evadant quales à bonis o-
 mnibus desiderantur: In rupicaprà quod hac
 vice fortis denegavit invidia, alio tempore
 refarciendum erit. In leporibus, quorum
 aliquem haud ita pridem, post pastum secui,
 rem

rem deprehendi uti in cuniculis: aderat nempe in ventriculo cavitas duplex, major una, minor altera, in illâ chylum superficietenus & crudiusculè contenta lambentem deprehendi: in hâc verò majori copiâ, magisque digestus, partim contentis adhæsit, partim verò ad ostium ventriculi inferius sincerus stagnavit. In eodem animali ut & cuniculis œsophagum cum ventriculo maximè fibrosum esse animadverti, evidenti indicio, fibrarum in ruminatione usum esse nobilem. Vidi insuper quadrupes hoc timidolofum, posteaquam pabulo saturatum erat, regurgitationem aliquam ingestorum pati, similem siugultientibus, postquam dentibus triturare denuò cepit, manuali nihilominus operâ veritatem ulterius experiar. De insectis & mihi res plena difficultatis videtur: Examinaui ab aliquot diebus, Tuo instinctu, ferro cochleas plures, ut quid tardigradum hoc animalculum curiosi intus reconditum habeat, edocerer: Miranda certè ejus est structura, quæ me refecit adeo, ut prolixiorem operam, fusiori indagationi jam destinârim: gaudet osculo latiusculo, cujus interiora ad attactum cartilaginosa quasi, reâple tamen satis fibrosa sunt, denticulis ex parte oris alterâ instructæ sunt acutis: Ex hinc via patet immediatè in œsophagum, qui itidem fibris gaudet insignibus, rectis præcipuè: Ventriculus tenuis est & membranæus, fibrillis pluribus pariter

donatus: Contenta in hoc fabulosa erant partim, partim liquida, coloris subatri, qualem interdum in vesiculâ fellis liquorem me deprehendisse memini: quoad coetera ventriculum vel divisum, vel plures invenire non potui, unde ruminare ipsas, asserere non audeo. Fortè microscopio, plura eaque rario-
ra in hisce detegentur, quo subsidio cum destituar, hâc vice oportebit contentum esse crassioribus hisce, quibus libenter adderem, quæ Suammerdamius de insectis habet, modò liber ille lucem vidisset, & in nostris bibliopoliis prostraret: ast promissus tantum dicitur esse non editus, nec fortè edendus, cum Authorem Medicinæ nostræ valedixisse audiam
Vale.

Dabam ex agro Basil. d. 20. Aug. 1678.

EXERCITATIO XVIII.

De cochleis & fele zibethi quædam.

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONR. PEIERUS S. P. D.

GRatissima mihi fuerunt quæ de leporibus apposuisti. Lautius me tractas, quam promereor aut rependere possum: nam talia fercula in culina mea vix reperiuntur. Si autem cochleas amas, age excutiamus mirandam earum machinam per anatomen. Nam quæ de iis prodidit Muraltus in clavi medicina

na

ne magis illustrari & perfici posse mihi videntur. Imo de cochleis non minoris momenti librum curiosus quispiam rerum naturæ scrutator æque facile conscriberet, ac de Bombyce Malpighius vel Oligerus Jacobæus de ranis. Satius enim vel id genus rebus indagandis tempus & studium impendere, quam silere ac otari. De insectis *Syvamerdamii* liber pridem emissus est in Belgio, sed ad manus meas nondum pervenit, nec scio an cochleas ille examinet. Nos pervestigando ortui & generationi animalium adhuc immoramur, qua de re singularem exercitationem propediem ad te perscribam, mentem tuam iudiciumque exploraturus. Ruminor etiam, si vacat, subcisivis horis. Plurimum autem temporis ac otii tribuimus administrationibus anatomicis. Inter alia animalia haut ita pridem hyænam odoratam sive catum zibethi dissecuimus, è vivario Regis Christianissimi allatum. Illi ventriculus erat figura humano similis & internè glandulosus, præcipue versus pylorum, ubi & mucus crustæ copiosus hærebat, quem glandulæ fuderant è manifestis poris. In intestinis glandularum cohortes vidimus numerosas, & ex his in ileo maximas. Cœcum & rectum intestina glandulis quoque prædita fuere, sed solitariis, quales etiam in œsophago notavimus. Podici ubi pilis jam vestiri pellis incipit, insculpta sunt foramina duo, per quæ

utrinque in capsulam glandulosam appellitur; latentem sub sphinctere & humore flavo tenacique plenam. Nondum assequimur cui hæc usui aut bono sint ita condita, nec scriptorum quisquam quod sciamus harum glandularum meminit, quas etiam in aliis animalibus jam sæpius observavimus. In pube ductis cruribus rima patens ducit utrinque ad foveam seu crumenam, zibethi receptacula. Hoc album est & pingue ac oleosum, fragrans, aliquibus etiam nimia odoris suavitate vel potius acritudine molestum; detracta pelle glandulæ conglomeratæ albæ & purpureis vasis sanguineis elegantissimè distinctæ in conspectum venerunt, in quibus zibethum fecernitur. Glandulas extrinsecus ambiunt muscoli, ut secreta materia inde propellatur ad receptacula per canales aut ductus singulares. Vale.

Dab. Lutetia Parisiorum mense Septembri 1678.

EXERCITATIO XIX.

Ortus & generatio animalium.

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

NE diuturno puter silentio commercii nostri Violator, amicissime Vir, has ad te scribere decrevi de Animalium ortu, re fatis gravi, ut non sint inanes. Volo itaque eas non solum legi abste, sed per otium quoque

que ruminatas censura vel calculo tuo probari, quem scio in rerum naturâ & Anatome probe versatum. E sacris tu mecum nosti, à Deo originem trahere omnia. Est enim demonstratu facillimum, non fuisse ab aeterno animalia; quippe quibus compositum è caduca materia corpus. Creasse igitur ea primum, unius erat Omnipotentis. Duos verò impensos animalium creationi dies, quis sciret, nisi divinitus edoctus? Nam summæ id quoque potentiaë, vel momento efficere omnia ex nihilo. Temporis hoc intervallum mihi compositionis differentiam in animalibus persuadet. A simplicioribus enim ad corpora mage composita ducente ordine, posterior dies priore semper quid tulit consummatius. Absit tamen imperfectionis ullam creaturarum arguam, cum suum quæque in se absolutissima auctorem Deum agnoscat. Avium itaque & piscium corpora puto minus composita, quàm terrestrium animalium; quoniam illa his priora. Humani autem corporis structura simillima quadrupedibus terrestribus relinquitur, quas etiam actionibus nostris corporeis imitamur, ac exprimimus: Creationis namque dies idem existit. Anima non corporis, tributa homini prærogativa, cum & è brutis quædam erecto coelum vultu intueantur, Quæ Deus in principio creavit, animalium corpora interitui esse obnoxia, non ignoras, quia sunt composita, uti
expe.

experientia testatur. Conservandis igitur & multiplicandis eorum speciebus continuata creatione aut generatione opus fuit. Posset quidem summum Numen in demortui cujusdam Animalis vicem unum vel plura creando mox substituere; sed non vult. Septimo enim die creationi finem imponente relictus tantum generationi locus, qua animalium perennitati hodie consulitur. Sunt qui generationem quoque è mundo tollunt, hujus ævi Philosophi. Tibi solum nunc *Svammerdamium* dicam, insignem *Amstelædamensium Anatomicum*. Deum is scribit in *mirac. nat. cap. i.* cum primis animalibus femellis hominibusque certum ovorum numerum creasse, quæ foetus partibus suis absolutos complectantur; neque generationem esse aliud, quam partium in primævis ovis actu latentium manifestationem, per foetus augmentum. Sequeretur hinc te & me in *Evæ ovario* jam formatum existisse. Quid tu ad hæc, mi *Hardere*? Impiè de nostræ querimur vitæ brevitate, à tam longo si ea filo pependit. Cur *Juvenes* adhuc dicimur tot millia emensi? Aut ego multum fallor, aut assensum facile obtinere nequit *Svammerdamii* opinio. Legibus enim contrariatur multiplicationis animalium, quam Deus instituit. Hæc additionem poscit, quæ fieri nequit, numerum augere nî liceat. Est etiam à sensu aut ratione nonnihil alienum,

ma.

materiae licet divisibilitatem in infinitum non negem, potuisse in parvo Evæ ovario tot millena millia ovorum prægnantium contineri. Quis derivationem eorum caperet ex matre in filias? Neque enim majus, ex quo puella nascitur, ovum est, quàm ex quo masculus. Aegrè quoque Syammerdamii fero subtilitatem in Theologicis. Non quærendum in minutis ovorum originalis corruptelæ fundamentum, quas licet mente concipere tandem possemus, incertum tamen adhuc an revera existant. Lapsis eheu! protoplastis non potuerunt nisi peccatores generari, similes nempe parentibus homines. Levi ab Apostolo non in ovario Saræ effœtæ, sed Abrahami in lumbis hæsisse dicitur, cum his decimas Melchisedeco persolveret, usitata, sed generationi testimonium perhibente phrasi, quod tibi facilè ostenderem: nisi aliena hæc prolixitas foret fastidio. Quid denique Vaticinio tribuam, exhausto illo ovorum numero humani generis finem portendenti? Næ desipiunt, sapere qui student nimium. Tanto signo mortales novissimi latere diei adventus haud posset, qui tamen Christi effato irruet inopinatò. Sto itaque pro generatione, cujus fieri nequit exilium, nisi una proscribatur natura. Conditum enim sexus discrimen, ut combinantibus se animalibus surgeret multiplicatio. Fallitur Harvéus de generat. anim. exerc. XXXVIII. in nonnullis

lis

lis tradens animalium speciebus nullos mares reperiri, sed omnes esse foeminas, quæ intra se primordia Ovorum foecunda contineant; in aliis verò mares duntaxat nullasque foeminas apparere. Omnes autem aliquid extra se in limum, terram aut aquam emitendo progenerare speciemque sui conservare; viderique in his talibus naturam uno sexu contentam esse, quo ceu instrumento utatur ad procreationem idoneo. A summis hercle animalibus ad minima usque insecta in singulis speciebus, si animum & oculos probe adjicias, differentiam sexus notabis & coitum, sine quo irrita manet generatio. Quod Harvéum fortè decepit, tibi dicam inter insecta femellas plurimas, dum coeunt, vulva procul exserta, quam aliàs etiam digitis exprimere possis, masculum mentiri. Combinationis necessitas de symbolæ collatione testatur, ad generandum requisitæ. Ea ex duplicis generis principio constat, masculino uno & foeminino. Vis tamè generandi potissima est à Deo, qui benedictione sua animalia prosequitur; hinc privatus ea nullus speciem suam propagare nequit, idoneis quanquam organis gaudeat. Operatur igitur etiam in generatione Deus, sed per media convenientia, quæ sapientissimus ipse hunc in finem animalibus iniecit. Diversa autem naturæ principia esse oportet, è quibus conjunctis id emergit, quod separatis non po-

po-

poterat. Quæ cum ita sint, nonne miraris mecum, Vir doctissime, diversæ indolis rebus idem nomen à plerisque philosophorum impostum? quin eò nonnullorum audaciam processisse, ut mulierum semen masculino simillimum contenderent. Unde aliis etiam uxores iisdem pollere ad generandum partibus, quibus mariti, solo situ diversitatem patiente aniliter prodentibus quis fidem adhiberet, nisi cæcus in anatome? Quanta attentione, & quam sollicita principiorum distinctione opus sit, generationis historiam vel mente comprehensuro, vel conceptis verbis exposituro, ne inanis tautologia confusumque chaos emergat, te non fugit. Jactis enim non solide fundamentis ruinosa moles superstruitur, ante peritura, quam perficitur. Quibus agitati fluctibus naufragium plurimi fecerunt, qui nullâ principiorum cognitione instructi, tanquam sine velo remisque mari se credidêre. Non aureos tibi montes polliceor, aut omnimodam abstrusarum rerum patefactionem, cum paucis contingat, esse naturæ vatibus. Patieris tamen, spero, de animalium generatione ea tibi à me narrari, quæ ex principiorum distinctione fluentia poterunt quodammodo scitum tuam explere, quam sentio quàm sit intensa. Coitu junctos foemellis mares impertiri, unde foecunditatem suam accipiant, in confesso est: masculo enim nunquam superveniente foemel-

mel-

mella sterilis manebit. Tribuit ergò mas ad generationem, quod in se foemina non habet. Id autem liquor genitalis est; nam feminis nomen ad plantarum partes restringo. Quo transfusio liquoris fit, instrumentum penis dicitur, non soli datus homini, sed & quadrupedibus, & avibus, & piscibus, & reptilibus, & insectis; omnibus, inquam, masculini generis. Arduum verò explicatu est, è quibus ille liquor particulis confletur, siquidem nostri sensus ac instrumenta ferme sint hebetiora, quàm ut earum acumen assequi valeant. Præstantes tamen illas esse, & quendam humorum veluti florem, haud difficulter cognosces, si pensitaveris, produci demum adulta ætate & vigente? profuso etiam depauperari sanguinem corpusque debilitari. Notavit appositè Malpighius, bombycum viscera in papiliones transformatorum decrefcere sensimque absumi, spermaticis vasis ampliari ac turgere occipientibus: quod Veterum doctrinæ favere potest, feminis materiam ex toto derivantium. Nugantur interim acidum inesse qui masculino semini statuant, & alkali foeminino; concurrente autem utroque, & commixto, foetum coagulari. Fallax certè hypothesis. Acidum enim sine alkali nunquam effervescit; at fervet liquor genitalis in coitu, priusquam ejaculatur à mare cæstro Veneris percito. Idem bullienti affusus lacti hoc præter acidorum

rum

rum morem nec turbat, nec præcipitat. Non etiam capio, quomodo paucum acidi unico congressu effusi pluribus queat foetibus producendis infervire, Alii à particulis nitro aëreis proliferam virtutem majore probabilitate derivant. Sufficiat nobis, liquorem genitalem è talibus utique corpusculis componi, quæ & tenerrima sint, & ad motum promptissima, non enim efficax est nisi vehementer exagitatus, ut quasi spumescat. Differre tamen à spiritibus animalibus debent, quoniam his foeminæ quoque abundant; at matrem quid ad generationem tribuere, quod foemellæ non possident, jam pro indubitato affirmavimus. Harum est, recipere quod à mare communicatum. Extant hunc in finem fabricati à naturâ sinus & anfractus, quorum non opus est nomina variasque configurationes enumerare. Largiuntur porro foemellæ materiam formando foetui, domicilium & nutrimentum. Mulieres in congressu semen emittere virorum instar, vetus est traditio, quâ tē non credam præoccupatū. Nos operam damus sapientiæ & veritati, ad quam firmo ratiocinio, cautaque experientia paratur introitus. Decipi, qui amant, facillimè possunt humore turgentibus, vel ad connubium sollicitatis ac incensis libidine foemellis è vulva profuso, qui nihil aliud est, quàm pituita uteri colliquata, & serum è glandulis vaginalibus (quas Clariss. Josephus

G

du-

du-Verney, amicus meus & Caspar Bartholinus primi detexerunt) excretum. Semen enim si esset, inutiliter ita profunderetur. Vidi aliquando rejectas ab equâ turgente muccaginis illius plures uncias, quot suppeditare nequivisset, vel uterque testiculus. Ovum est, quod ad generationem foemellæ omnes conferunt. Cui si præter cicatriculam nihil adhæret, uti in vivi-paris contingit, inchoatum: si albumen & vitellus, quemadmodum in oviparis accidit, absolutum nuncupo. Priscorum verò divisionem animalium in ζώοντα καὶ ὠόντα non esse de generationis principiis, sed de modo pariendi duntaxat intelligendam, dubio procul jam tute facile colliges. Constans enim ac immutabilis naturæ lex conceptum ponit in ovo: cujus pars essentialis cicatricula est, quæ nisi fuerit imprægnata partum frustra expectaveris. Omne ovum foecundum est foetus gratiâ: nequit etiam negari generationis principia debere esse eadem, cum ad similes effectus similibus utatur instrumentis natura. Ovum igitur quis inficiaretur, ubi foetus? De ortu animalium ex ovo jam post Harveum multi scripserunt, nec primus ego sum ova qui venditem. Non prostat meo iudicio convenientius rei nomen. Id enim claram distinctamque eorum fert ideam, quæ cognoscenda proponimus. Quid ergò Aquapendentem moramur, ex Aristotele suo id ovum propriè vocantem,

ex

ex cujus parte animal gignitur, reliquo in cibum ei quod gignitur, facessente: improprie verò ovum nuncupantem, ex quo toto animal nascitur, uti sint ova formicarum, muscarum, quorundam papilionum, & alia id genus perpusilla, quæ & Aristoteles ferè perpetuo sit veritus ovi voce efferre, sed vermiculi donare maluerit: Hem mysteria microscopiorum ad aciem prorsus evanescentia! Myrmecini ædepol ovi decima tantum circiter pars formando corpusculo impenditur, reliquum omne nutriendo. Idem in flavescens aranearum & papilionum ovis cernitur. Adeò nihil discriminis maximum inter Struthiocameli, & formicæ seu papilionis minutulum ovum est, præter solam magnitudinem, quã oculorum nostrorum modulo fallaci metimur. Quid alios curamus, nobis oggannientes temeritatis esse à calcatis priscorum vestigiis desciscere? Satius utique veritate niti, quàm auctoritatum pigmentis, quas sæpè erroneas deprehendit experientia & acutior ratio. Ovorum officina ovarium audit, quod in singulis femellis reperitur. Testiculis enim soli mares superbiunt. Furor est in illis analogiam quærere, toto quæ cœlo differunt: nam alia muliebris ovarii, alia testiculorum in viris structura est. Vitellum atque albumen de novo generari, nec non testam, qua ova absoluta muniuntur, extra dubium posuit experientia & Harveï sagacitas. Cicatriculæ

læ verò & inchoatorum ovorum ortus non æquè manifestus est. Hæc ovario, dum corporis partes ac viscera primùm formantur, innasci diu existimavi, captus in numero minutissimarum spherularum numero, quæ in gallinacei pulli & juniorum piscium ovariiis microscopii beneficio deteguntur, priusquam illi vel coierunt vel pepererunt. Suspicioni robur etiam addebat ovarii humani, in monstrosis gemellis, ab utero materno recentibus examen, quod antetriennium in ædibus Excellentissimi Wepferi nostri institui. Visæ enim tunc nobis fuerunt vesiculæ miliares limpidaë, quas pro humanis ovis complures alii mecum habuerunt. De novo tamen etiam cicatriculas produci posse arbitror, quam reclamantibus iis, qui animalium ova omnia mundo coætanea, & numerum eorum in primâ creatione à Deo sic determinatum credunt, ut augeri vel diminui nequeat. Equidem ranarum, astacorum, quorundam piscium plurimorumque insectorum ovaria, depositis ovis vacua relinquuntur, aliquandiu post nullo cicatricularum in futuros partus apparente vestigio palpabili. Cœterum nostrorum in demonstranda veritate sensuum fallaciam non ignoro, neque diffiteor. Et quæ ovariiis insunt, & quæ de novo succrescunt, ova statis temporibus dilatantur ac ad maturitatem perveniunt. Incrementi facilis est dignotio, si cicatricularum dimensiones

com-

comparetur in gallinâ adolescente, à gallo nondum compressa, & in alia consistentis ætatis ac ova jam pariente. Augmenti materies salino-sulphurea è vasis accedit, quæ per ovarium distribuuntur. Ea demum in congruis membranarum glandularumque poris secreta perficitur, ut in cicatriculam abeat. Maturitatis indicium stata præbet ætas, quam ante irritò coeunt, & recurrens certis intervallis libidinis ardor. Dicere non possum in quo consistit illa maturitatis, & veneri stimuli acumen, nisi exaltari cicatricularum patticulæ salino-sulphureæ credantur, & tanquam maturus fructus effluvia quædam de se spargere, quibus vel in sanguinem, vel, quod libentius credam, in nervos excurrentibus, peculiare in corpore motus cientur; perinde ut maribus accidit, genitali turgere liquore incipientibus. Uteri fermento, quod multi credunt, & de quo ante hac ad te fusius, nihil hic tribui potest; quoniam matricibus femellæ plurimæ destituuntur, in venerem nihilominus proclives. Omni tempore maritis aptæ mulieres obveniunt: nec semper ob cicatricularum imprægnandarum sive ovarum maturorum præsentiam, sed frequenter ob conceptæ olim voluptatis reminiscenciam. Inter bruta verò masculorum consortium pertinaciter eludunt femellæ, quæ à cicatricularum maturarum effluviis machinaliter haud abripiuntur, Turgentes femellas à

non turgentibus olfactu mares nonnulli discernunt, forsan effluviis, quæ commemoravi, non parum eò conferentibus. Quomodo tandem in ovariis foecunditatem ova acquirant, nunc dicere conabor: tu benevolis sis auribus, sed acri iudicio, ac ubi deliravero censura. In congressu marium contentio fortem impressionem innuit, videturque mihi totum imprægnationis opus inchoari motu & perfici. Nihil enim in ovo maturo desideres, præter motum, qui junctis quæ antea solutæ distabant particulis, ideam foetus in materiâ designet. Sanè motuum in rerum natura effectus tanto sunt majores, quanto certius rationi nostræ innotescit, à Deo cunctos cieri. Ea igitur in liquore genitali concipienda est particularum aptitudo, ut in actu venereo talem motus impressionem, accedente benedictione Divina nanciscantur & femellis communicent, qualis requiritur ad foetus ideam in ovo delineandam. Patet hinc, non tam liquoris genitalis substantiam ovis sese insinuare, aut ad foetuum compositionem proximè requiri; quàm præcipuè motum, qui mediante liquore femellis ac ovis imprimitur. Potest enim motus ex corpore in corpus transferri, etiamsi substantia communicantis non transeat in substantiam recipientis. Superficierum quippe contactus sufficit. Ab auctoribus certè uxores produntur, reddito mox à mariti consuetudine liquore geni-

geni-

genitali, nihilofecius concepisse. Harveus ipse in damarum cervarumque uteris retenti feminis nihil unquam invenit; ut prorsus corruant, quæ de feminum in utero commixtione & retentione Veteres docuerunt. Negat Caspar Bartholinus in epist. de ovar. mul. viri semen per uteri tubas ad ovarium adscendere posse, quod Regnerus de Graef in lib. de organ. mul. incautè affirmaverat. Multa denique alia de motus impressione testantur, quæ nunc silentio prætereo. Id comprobatum experientia, & saniorum testimonio, vaccarum, ovium scrofarumque carnes mox à coitu mactatarum flavescere, ac ob id minus vendibiles reddi. Flavedo hæc alterationem sanguinis prodit, à motus impressione factam. Caspar Bartholinus subtiliorem liquoris genitalis partem, per vaginæ ac uteri poros, in massam sanguineam foemellarum transire existimat, probatque exemplo refectionis subitanæ ab assumtis alimentis, epithematum quoque & inunctionum, præprimis mercurialium. Nec ego sententiæ huic multum repugno. Cæterum constat motu particulas materiæ non solum variè disponi, sed etiam ita immutari posse, ut ex rigidis flexiles, ex mollibus duræ fiant, atque alias & alias combinationes, attritus & hinc resultantes configurationes diversimodè sustineant. Non enim unius géeris & naturæ particulas includit cicatricula, quæ ante imprægnationem con-

fusum quasi chaos existit: quandoquidem observante Malpighio ea in subventaneis ovis nihil distincti, sed inordinatas ac divulsas duntaxat nubeculas ostendet; cum è contra foecundatis carina seu stamen pulli jam inesse microscopiorum ope cernatur. Ostendat Syammerdamius in ranarum ovis, à mare nondum subactarum, gyrinos partibus suis absolutos, & dabo aliquid ipsius de animalium propagatione sententiae, Sive fit imprægnata ovi gallinacei cicatrix, sive non, ejusdem utrobique magnitudinis apparet.

Foetus ergo si delineatus ante imprægnationem in ovo jam existeret, sui vestigium etiam tunc microscopiis prodere deberet. Cui autem bono coitu & differentia sexus, si partes corporis omnes in ovo antè jam formatae latent? Patefaciendis ac evolvendis iis solæ foeminae sufficerent, cum habeant omnia ad imprimendam foetui vitalitatem necessaria. Videas enim haud rarò vegetiores vividioresque maritis uxores. Dato demum formatas hominum partes in mulierum ovariiis & ovis inde à primâ creatione delitescere, concedendum & illud erit, velle Deum, ne fine suo frustretur, omnia ista ova evolvi ac suo quodvis tempore in hominem perfici. Divinae igitur voluntati ordiniq̃ue naturæ obluèctari censendæ sunt vestales virgines, & quotquot coelibatus perpetui voto impediunt, quo minus latentia in ipsarum ovariiis humana corpora

pora

pora in lucem edantur. Dico hæc, quia pontificium novi philosophum insignem, qui Svammerdamii opinionem amplectitur. Liqueoris genitalis in diversis animalium speciebus varietas motum illum forsan per Dei voluntatem sic determinare potest, ut similes parentibus foetus producantur, specie, corpore, vultu, gestu; nisi accedant obstacula, monstris originem præbitura. Sin veritati minus quadrare putentur, quæ de motus impressione seu derivatione è viris in foeminas, ac ex his per arterias & nervos in ova retuli; advocandus erit alius digitus illius manus, quæ in principio confusum chaos in tot eximia corpora digessit, & valuit producere omnia ex nihilo. Pertexerem & cætera, quæ de ovorum imprægnatorum separatione ab ovario, derivatione in uterum vel extra corpus, exclusione denique supersunt. Ast vereor, ut epistolæ cancellos superans ferculorum nimietate nauseam tibi generem. Pars dicta jam est ab aliis, pars etiam à me alibi, partem exponet Josephus du-Verney anatomicus regius in libro, quem de origine animalium & defensione generationis humanæ ex ovo idiomate suo adornat. Habes, Vir Clarissime, quæ de animalium ortu ad te paucis scribere volui, argumento sanè intricatissimo & difficili, subtili tamen & cognitu jucundo. Tu cunctis diligenter expensis, si quid ponderis ad stabiliendam veritatem inesse senseris,

G 5

erit

erit de quo mihi publicoq̄ue gratuler; nam tuo probata iudicio cur publicè legi obstarẽ? Vale,, amice dilectissime, & me ama. Dabam Lutetiæ Parisiorum declinante Septembre 1678.

EXERCITATIO XIX.

De generatione ex ovo.

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JACOBUS HARDERUS. S.P.D.

Ingeniosa, erudita & solida sunt, quæ de generatione ex ovo, mi Peysere, ad me tradidisti: Nullus dubito, quin publicæ luci eadem concredita, omnium facilè sint meritura applausum: Meum, ut apponam, vis calculum: Sanè levior is est, nec qui ab eruditis legatur, usque adeò dignus. Attamen ut amicitia satisfaciam legibus, simulq̄ue me Tuum, quem hætenus comprobasti affectum, revereri monstrem, dicam meam sententiam: Generatio ex ovo à multis strenuè hucusque fuit propugnata, inprimis ab Exercitatis. Kerkringio: Non desunt tamen, qui contra eandem mirè decerent & debacchantur. De Veteribus nihil hic dicam; Ipse enim probè nôsti, Hippocratem geniturâ ex utero effluente, conceptum impossibilem aestimare, cui tamen contrarius est Harvéus: In ovo generationem fieri, neminem arbitrator negaturum, Etenim ipsemet Hippocrates,

tes,

tes, I. περὶ φύσεως παιδῶν, de geniturâ sex dierum, ita loquitur: Ὀκταῖον ἢ ἦν ἐγὼ ἐρέω, οἷον εἴτις ὡς ὡμὸν τὸ ἐξω λεπύριον περιέλοιεν. Qualis autem erat, ego referam, velut si quis ovo crudo externam testam circumcirca adimat. Ex ovo animalia generari: vel solâ experienciâ comprobatum est; Nam, quod etiam ultimæ meæ notârunt, testiculi cuniculi femellæ, mera continebant ovula: In testibus muliebribus, res mihi quidem adhuc incomperta est, comperta autem aliis Viris Excell. quorum testimonio & fidei ego plurimum tribuo, mihi quoque datâ occasione, idem scrutari firmiter proposui: Nullam autem hoc in negotio ego Svammerdamio adhibuero fidem, generationis continuacionem neganti: vel sola sacra Scriptura, de benedictione divina, Homini, totiçue animalium generi à Deo impertitâ, hunc turpiter confundit, taceo, quòd sanæ rationi minus congruum sit, totum humanum genus in Evâ, & totum animalium, in primis animantibus fuisse recondita: Neque etiam Clariss. adstipulator Harvéo, qui generationem ab uno fieri posse autumavit, statuendo in quibusdam animalium speciebus nullas foeminas reperiri, & vicissim: Melius certè Venerandus artis nostræ Parens lib. περὶ φύσεως ἀνθρώπου, paragr. IV. πρῶτον μὲν ἐν ἀνάγκῃ; τὰ ἄλλα αὐτῶν γίνεσθαι μὴ ἀφ' οὐδὲ πῶς γὰρ εἴγε εἶναι τοιαῦτα γενήσκειν, εἰ μὴ ἔτι μισθῆται· ἔπειτα εἰδὲ αὐτὸ μὴ ὁμόφυλα

λα

λα εόντα μίσηται, καὶ πρὸ αὐτῶν ἔχοντα δυνάμιν,
 γυνῆ, & οὐδὲν αὐτῶν ἡμῖν ξυντελέοιτο. Primum
 quidem igitur, necesse est generationem fie-
 ri, non ab uno. Quomodo enim unum exi-
 stens, aliud quid generârit, si non alicui mi-
 sceatur. Deinde neque generârit, si non e-
 jusdem generis existentia, misceantur, &
 quæ eandem vim habeant, neque sanè nobis
 similia perficerentur. Necessum proin est u-
 triusque Parentis tributum, quod ad novi
 foëtûs procreationem lubentes, libenterque
 conferunt: Hoc, sunt qui generali nomine
 seminis complectuntur, & quidem quibus
 major contigit ingenii acies & felicitas, mu-
 liebre semen multò inferiori loco habent
 virili, eò quod illud ab hoc foecundari ne-
 cesse habeat: Errârunt autem, fateor, & hi,
 quòd semen foemellæ, cùm nihil aliud sit,
 quàm ovum, hoc nomine dotârunt: Cæte-
 rum masculinum, semen καὶ ἐξοχλῶν appel-
 lari fortè posset, si autem rem exactiori Te-
 cum pensiculo trutinâ, mihi magis placet
 illud nomine liquoris genitalis insignire, ut-
 pote ex toto corpore deciduum, & in parti-
 bus genitalibus præparatum, elaboratum &
 confectum: Quænam autem hujus ipsius sit
 materia vel causa efficiens, aliquando fortè
 delibare dabitur occasio; Quin Spiritus nitro-
 aéreus præcipuum conferat, particulisque ni-
 tro-aereis, mirè efficacibus & subtilibus li-
 quor

quor hic abundet, apud me extra aleam est, neque femellis hanc prærogativam, uti maribus competere existimo: Egi aliquando in literis ad Te datis pluribus de hoc ipso liquore: Suppeditat ergò mas liquorem nobilem, genitalem, foemina verò ovum, ab illo ipso foecundandum. De ovi hujus generationis modo & materiâ Tu fusiùs & satis eruditè egisti, etiam ego augmenti materiam salino-sulphuream statuo, ex vasis accedentem, veneri que stimuli sensum ab hisce ipsis partibus, nervis potissimum communicari, unde tam cita ad Venerem proclivitas oboritur, autumo: Fermentum uterinum menstruo vectigali exigendo magis esset destinatum, quàm Veneri-ciendæ. Id unicum jam reliquum esse video, quî ovum hoc suâ, quàm requirit, foecunditate donetur? Motu: Res sanè subtilis & difficilis conceptu, cui nihilominus tantopere non refragor! Ast, unde hic motus? Accidens ne tam insigni substantiæ producendæ, sufficiens, est, vel absque subjecto existere potest? Multa hinc difficultas. *Θεῖόν* & ego lubens hic agnosco, & cum Psalmistâ, ô Domine! quam mirè me fecisti, non sine exultatione exclamo: De motu, particularumque dispositione, jam olim pluribus Nobiliss. Cartesius, & hodie ejus Affectæ agunt, sunt tamen, qui nimium lubricis fundamentis hæc inhærere arbitrantur: Particularum dispositionem non renuo:
hanc

hanc autem omnia facere, & ubique principaliter agnoscendam esse, nondum apud omnes in confesso est: Liquorem genitalem sunt qui ovis se insinuare dicunt, sunt qui eundem rursus effluere animadverterunt. Ego, si quid hic dicere ausim, partem spirituosissimam, maximeque subtilem, (spiritum plasticum dicunt alii) derelictâ parte minus subtili, quæque quasi vehiculi vices supplevisse potest, in ovum se insinuare, inque hoc postmodum totam foetus delineationem moliri crediderim, quod nec motum nec particularum dispositionem tollit: Hæc sunt, quæ circa materiam satis intricatam, mihi hâc vice aperire licuit. Tu Vir Cl. hoc & aliis argumentis, nominis tuæ gloriæ, ulterius stabiliendæ fortiter inchia, mihi autem proporro favere perge.

Dab. Bas. medio Octobr. 1678.

EXERCITATIO XX.

Generatio & formatio animalium.

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

DE generatione animalium consensum tuum & dissensum intellexi, si modo dissensus vocari queat hæsitatio de iis quæ clare & distincte non percipiuntur, A' longa sane & multiplici meditatione eo tandem adductus

ctus

Etus fui ut crederem generationem formationemque animalium omnino pendere à motu singulari, & per congressum determinato ad fingendum animalis corpus. Nec falsa est conclusio, si pro veris habeantur præmissæ, quibus tu subscribere videris. Positis enim duobus illis principiis eorumque proprietatibus, si unum alteri jungendum est motu id fiet, si corpus animalis inde formandum, motu. Liquor genitalis est corpus fluidum, cujus particulae quamdiu quiescunt nihil unquam novi producent. Per spirituosissimam autem maximeve subtilem ejus partem, quam spiritum plasticum alii nominant, nihil aliud intelligi potest quam liquoris genitalis particulae in motu positæ & vigentes: nam substantiam immaterialem sive animam aut mentem illi nemo sanus & rationis suæ compos facile tribuet. Quæ cum ita sint, si fœcunditas à mare procedit, necesse est aut liquoris genitalis substantiam ipsam, aut tantum motus impressionem, aut utrumque ovo se insinuare. Liquor genitalis sine motu est materia inefficax, nec fœcundando idonea. Materia cum motu conjuncta mihi videtur fore superflua, quia omnem fœtus materiem in ovo jam supponimus. Forsan differunt etiam liquor genitalis & ovum fœcundandum particularum suarum configuratione, nec ad istam rem apte quadrare videntur. Negotium igitur ex mea sententia motus absolvit. Ast unde,

de,

de, ais, hic motus? Respondeo à liquore genitali, qui motum singularem acquirit in coitu ex institutione divina, acquisitumque femellis imprimit atque communicat. Corpus per se & ex se motum producere nullum potest, quem vero aliunde accepit eundem aliis corporibus vicinis & contiguis facile tribuit; adeoque motus etiamsi sine subiecto haut subsistere videatur, è subiecto tamen uno in aliud propere commigrat, si superficiem unius tangit aut percussit superficies alterius, uti experientia testatur. Quamobrem ex hisce manifestum est, è particulis liquoris genitalis commotis & foemellæ infusis, motum per spiritus animales & sanguinem cæterasque partes usque ad ovarium propagari posse, ovumque unum aut plura prægnantia ac foecunda reddi, licet masculini feminis substantia ad ovarium haut ascendat nec ovis se insinuet. Cæterum difficultas maxima & Gordius nodus hic est, an in rerum natura corpus ullum tali præditum motu reperiat, qualis ad exstruendam animalis machinam requiritur; vel, an solus motus fortuitus juxta leges divinitus ordinatas animalium corpora organica fabricare ac exstruere possit? Ratio non consentit, quamcunque tandem particularum configurationem recipiamus, nec fortuitus motus tam artificiosa organa unquam produxerit. Quare simul agnoscimus ac ultro admittimus in his sapien-

tiam

tiam & intelligentiam divinam, quæ separata existens à materia animalium corpora affabre concinnat, numerisque omnibus absolvit. Statuendum ergo est aut Dei digitum animalia denuo ex ovis formare, perinde atque creat animas, aut ovis omnibus jam inde à mundo condito suos inesse foetus: quæ posterior sententia, quamvis nuper mihi visa sit admodum Paradoxa, locum forte habere ac prævalere potest. Vale.

Dabam Lutetia Parisiorum mense Octobri 1678.

EXERCITATIO XX.

*Cochlea. testiculi Cuniculi &
glandule cardiaca.*

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

Vidi ex ultimis Tuis, quas ab herbatione redux cum Ampliss. HARDERI vestri Filio haud degenerare, accepi, ulterius cochleæ *Φερεοίης* examen Te expetere; Operam equidem quantamcunque non reformido, dummodo pateant, quæ admiranda hoc in insecto natura fabricavit, oculisque nudis illa detegere valeamus: Feliciori certè licebit esse Tibi, qui elegantibus instructus es microscopiis, quorum ope minutissima etiam discernere nôsti. Nobis hujuscemodi cum suppetat nihil, rudiori delineatione tantisper acquiescere necesse erit, dum aliquando pari-

H

bus

bus instrumentis tuâ opera gaudeamus: Fibrosa ipsarum cornua, intestina tortuosa, hepar glandulosum &c. animû sciendi avidum, summopere pelliciunt: Id jam à te scire cupio, num quod nuper ferè inficiatus sum, cochleas ruminare existimes. In Cuniculi femellæ Anatome ovarium reperi oblongum, ovulis compluribus, hydatides referentibus, plenum, è quibus pressis humor limpidus profiliit: Juxta cordis basin autem, deprehendimus glandulas plures, albicantes & tumidas, similes tuis intestinalibus: Glandulæ istæ cordis tunicæ inhærebant firmiter, illâque separatâ, cum luci obtenderentur, melius in conspectum veniebant: Ope microscopii in vasa illarum inquirere facilius esset, quibus beari contendunt, quotquot pericardii succum exinde derivant: Eâdem septimanâ ex priapo pueri tredecenîs calculum tricuspideum, ex vesicâ eò prolapsum, glandi que pertinaciter infixum, citra hæmorrhagiam qualemcunque extraxi, quem Parentes *κειμηλίς* loco adhuc dum servant: adeò florida pubertas pejoribus etiam symptomatis frequenter est obnoxia, quæ ad lethum viam sternunt promptissimam. Vale.

Dab. Bas. d. 21. Septembr. 1678.

EXER-

EXERCITATIO XXI.

Cochleæ. Glandula cardiaca. Microscopium novum.

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

CŪm cochleis festina lente, & tanto melius patebūt tibi enucleabunturq; omnia. Nam fieri vix potest, ut brevi tempore rimaris penitus quæ in illis latent tam abscondita. Labor tuus mihi summis semper erit in deliciis, & cochlea hæc animum meum plus reficiet quam hecticos aut Apicios. Optime feceris judicio meo, si ad imitationem observationum Jacobæanarum de ranis (liber ante triennium editus est Parisiis) primo exposueris cochlearum ortum ex ovo, deinde productarum incrementum designaveris & pabulum. Mox adularum partes & differentias, per anatomen. Post actiones earum multiplices, quas malle ab ipsa machinæ compositione, tanquam automati artificiosissimi, & objectorum externorum impressione, vel ipsa Dei voluntate animalium corpora flectente ac gubernante, deduceres potius quam ab anima sentiente & cognoscente, uti plurimi sed minus bene faciūt: nihil enim absurdius, quam brutis animã cognoscentem tribuere. Porro convēienter adderes istis teste seu domunculæ fabricationem, ejusque cum reliquo corpore connexionem & incremen-

H 2 cum,

tum. Denique usum cochlearum proderes in culina & medicina, oppido multiplicem nec contemnendum. En tibi campum in quo deambulare, teque totum aliquamdiu exercere queas. Limacibus testæ expertibus ventriculus quadruplex est, si credimus Malpighio: at domiportæ gaudent unico, eoque valde conspicuo & distincto, secus ac Muraltus existimavit. Id jam præterea observavi aliquoties, quod etiam in observationibus meis de ruminatione significabo, cochleas victitare stirpibus; pascentes autem præmorsam ore dentato herbæ portiunculam mox in œsophagum trajicere, ubi aggestis nonnunquam pluribus bolis, priorem urgente posteriore & fibris se constringentibus fit deglutitio. Saturæ vernis ac æstivis quoque mensibus in domunculas suas nonnunquam sese recondunt, diebus ac noctibus octo continuis & interdum longe diutius ibidem hæsuræ; quo temporis spacio an dormiant ruminentve me fugit. Tandem iterum experrectæ aut porrectæ proxima quæque admordendo famem explent. Hæc sunt quæ de cochleis obiter hætenus annotavi, tu plura & meliora dabis, ubi animum examinandis iis adjeceris, cum singulæ etiam partes & viscera recondita artificii plurimum ostendent, sapientiamque creatoris optimi & maximi prædicent. De glandulis ad basin cordis observationem tuam legi; nec differre illæ mihi videntur ab iis quas
olim

olim notaverat Lovverus, qui pericardii humorem ex hoc fonte scaturire putavit. Easdem glandulas ipse etiam sæpius vidisse memini in diversis animalibus, easque nunc à basi cordis remotiores, nunc ipsimet pericardio extrinsecus annexas aut involutas pinguedini. Nondum tamen ex illis ductus aut canalis singularis apparuit, & malo ex pericardii manifestis poris humorem tantisper adhuc deducere, dum manifestior ortus pateat. Meo hercle iudicio membranæ sunt lymphæ scaturigines, in quibus si quis glandulas concipere velit invisibiles, per me licet. Sed de his satis. Haut ita pridem microscopio illo novo, cujus antehac mentionem feci, in minima aquæ piperatæ guttula, quam vix oculis tuis usurpare potuisses, conspexi plus quam trecenta animalcula vita & motu prædita, & novo exemplo isto didici rerum naturam latius multo patere quam sensus nostri, sapientiamque divinam in creaturis esse infinitam, ac interdum maximam aut maxime celebrandam in iis quæ nos minima putamus. Vale. *Dab. Parisiis 5. Novembr. 1678.*

EXERCITATIO XXI.

*Cochlea terrestris Domiporta,**Limaces.*

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUS. S.P.D.

EN Tibi, mi *Pejere*, Cochleam, in partes ruditer dissectam, quam ubi placuisse audi-

H 3

vero

vero, non obstabo, quò minus in publicum
 prorepat aliquando: Novi quidem fore mul-
 tos, hanc nostram operam qui vel ridebunt,
 vel censebunt, vel alitercunque traducere fa-
 tagent; quod abjectæ sortis animalculum est,
 speculatione indignum Medici, paucique u-
 sus vel emolumentum: At discant hi *μιμείδου*
 prius, quàm aliorum laborem insipienter re-
 prehendere, & scrutari minutissimas inse-
 ctorum partes, à Deo prudentissimè ipsis do-
 natas, si possunt, antequam operam nostram
 vanam pronuntient vel explodant: Magnam
 sanè promeruit laudem inclytus *Malpighius*,
 suis de bombyce *ἐγχερήμασι*, nec minorem
 adeptum esse audio Curiosissimum *Redi*, de
 Insectis tractatum elegantissimum, qui con-
 cinnasse fertur: Quidnì ergò etiam aliis, si
 non pari, saltem laudabili gressu horum ve-
 stigia premere, suamque *Φιλομάθειαν* Erudi-
 tis, conaminibus hujuscemodi patefacere ac
 commendare liceat: In cochleâ exenteran-
 dâ, quod impendi operæ temporisque mul-
 tum esse, citra jactantiam dicere possum: ni-
 hilominus gloriam non affecto, vel magnifi-
 cos aliorum mihi promitto applausus, cùm
 fatear ultrò, partes omnes me nondum dete-
 xisse, detectasque rudiori penicillo tantùm
 adumbrasse: Sufficiet Bonis conatum huncce
 probatum iri, illumque apud nos fervere ex-
 periundi zelum, ut reiteratis experimentis,
 de omnibus illustriùs & pleniùs aliquando
 scripturi

scripturi simus. De limacibus plura itidem congeffi, suo fervãda loco & tempori: Jucunda est in hisce ventriculorum series, à quibus plurimorum vasorum, ad instar lacteorum albicantium pendent cohortes, nec minus grata clypei effigies, sub quem, quod testã caret, totum se recondere novit hoc animal, necessitate urgente, vel occasione ita hortante: Sunt dein aliã partes multã, quas cum domiportis communes habent, quarum pleniorẽ descriptionem aliquando exhibere studebo. Jam Vale optime & de transmissis citra fucum sententiam dicito.

Dab. Bas. d. 3. Novembr. 1678.

EXERCITATIO XXII.

Cochlea terrestris domiporta.

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

COchleam tuam, mi Hardere, probe accepi, palato meo gratam, tuique laudes publice decantaturam, etiam si voce careat & in partes dissecta sit. Te non de universis agere cochleis, non de marinis, non de limacibus, quorum infinita penè varietas; sed unicè de domiportis, intellexi: neque etiam de harum singulis speciebus, verum de terrestri duntaxat nostra vulgari, quam à coquo præparatam esitare solent hyberno tempore & quadragesimali. Frustra tãen sunt qui coch-

H 4

leis

leis carnem & sanguinem denegant ; nam sanguinis essentia non in purpura consistit, neque carnis essentia in rubore. Unde quod tu lympham appellas in cochleis, ego sanguinem dixerim. In cor enim vena ingreditur, & ex corde arteria egreditur, utrumque vas sanguinem vehens. Quippe dantur in cochleis alia insuper vasa, quæ lymphicis in corpore humano respondent, licet visum ferè subterfugiant. Adfunt præterea pori & ductus excretorii, mucum undiquaque diffundentes, ut corpus anguilla magis lubricum reddatur; quales Nicolaus Stenonis primus observavit, & ego etiam cum admiratione, in raja & anguilla. Conspiciuntur itidem in cochlea, præsertim ad basin qua repit & arboribus sese affigit, singulares glandulæ, mucaginem illam suppeditantes, ex quibus hæc fibrarum circumjacentium motu jugiter exprimitur. Hæc ipsa illa mucago est quæ in locis per quæ cochlea repit exsiccata splendet instar foliorum argenti. Corrugata ac in se ipsam veluti coacta cochlea talem habet formam qualem domuncula, in qua hospitatur. Exporrectæ verò si domum abstuleris alia figura est, eminente cornuto capite, helice tortuoso, & basi seu vestigio lato. Cornibus superioribus imposita capitella sunt oculi, è quibus crystallinum humorem eruisse Svammerdamius fertur. Observavi etiam admodum cominus bacillo cornua ista in cochleis vegetis

getis

getis ante recedere quam proximè tangantur ab eo, quod oculorum præsentiam evincit. Quod autem in cochleis hætenus assequi non potui, mihi que maxime mirandum videtur, motus est quo cornua illa mox protenduntur, ut arrecta prostent, mox reconduntur ut abscondita delitecant. Nondum, inquam, comprehendere possum qualis fibrarum structura diversos hos motus edat. Cæterum notatu quoque dignum est foramen in principio helicis, instar pupillæ in oculo hominis se aperiens & claudens, ut aër intret exeatque. Superato foramine illo cavitas ingens notatur, asperæ arteriæ, bronchiorum & pulmonis vices supplens. Hic arteriæ plurimæ cernuntur elegantissimis ramificationibus membranas, quæ cavitatem istam formant stipare, ut nitro aërea symbola sanguini accedant ex corde profecto. Vasa hæc per testam, si tenera est & nondum ablata, eleganter transparent: non autem ipsi domunculæ inhærent, quæ vasis talibus destitui videtur. Ossiculo poroso, in cylindro latenti, si spiritus nitri aut vitrioli affunditur, protinus effervesceat. Materia candicans qua vasculum ut tu vocas lacteum scateret, forsitan operculo testæ formando impenditur. Sed longiorem hæc & multa alia experientiam deposcunt. Miror te nihil dicere de sexu & partibus ad generationem facientibus. Tantum otii mihi nunc deest, nec vocat ut hæc figillatim expediam, cum

H s

plu-

plurimum temporis & laboris requirant, Testam autem cochleæ mundo secum ingerunt, in hoc præ cæteris felices quod testæ cum domo nascantur. Ea vero in principio adeo delicatula est, ut ceræ vel membranæ instar ductilis flexilisque sit. Postea vero crescente cochlea crescit & extenditur. Notandum, incrementum illi accedere ea parte qua fores patent, eructato humore viscido, qui sensim induratur inque testam abit, vernis ac æstivis præcipuè mensibus. Hæc sunt, doctissime Hardere, quæ ad cochleam tuam manuscriptam paucis adjicere volui, ut sentias non modo vehementer mihi placere industriam tuam, sed etiam autorem me esse tibi ut cochleam illam tuam enucleatam imprimi cures, stimulo ad majora & meliora tibi, mihi, aliisque futuram: quamvis ego de te non sim meritus ut talia iudicio meo submittas, nedum sacra mihi facias. Vale.

Dab. Lutetia Parisiorum d. 14. Novembr. 1678.

EXERCITATIO XXII.

Cochlearum sexus. Animalium ortus. Partus monstrosus.

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JAC. HARDERUS S. P. D.

LÆτορ, Φίλον ἤτορ, ad palatum cochleam meam fuisse, cujus carnem alias fastidiunt multi, simulque gratias habeo ingentes pro ad-

additamento eruditissimo, nostris lucubra-
 tionibus, quod haud parum lucis afferet: Sexus
 diversitatem in omnibus, quas cultro subjeci,
 haecenus nullam reperi, unde magis magis-
 que adducor, ut hermaphroditas esse statu-
 am, neque etiam partes genitales earum, à
 quopiam quod sciam, distinctè satis enuclea-
 tæ fuerunt, unde ulteriorem scrutandi ansam
 hæ ipsæ suppeditabunt: Foramen pupilli for-
 me, hac ipsâ septimanâ, denuo persecutus
 sum: latet illud ad radicem ἑλικῶ, egregiè
 formatum, anique exitui proximum. Ele-
 gans hujus est usus, utpote per quod pabulum
 vitale machinula hæc haurit: cæterum pro-
 dromi cujusdam vices sustinebit istud cochleæ
 examen, illustrandum aliquot ex Aristot. l. 4.
 de histor. anim. de promptis argumentis, qui-
 bus accedent usus quem præstant in Medicinâ
 æquè ac Culinis. De actionibus ipsarum, quas
 tu purè machinales contendis esse, judicium
 tantisper suspendam, cum minus Christianum
 autument Philosophi plures, bruta sensibus
 orbare, quibus tamen ipsissimum Dei verbum
 illa exornat. Saniozem hoc in negotio sen-
 tentiam tueri videtur Aristoteles & Neotericî
 plures, inter quos eminet præ aliis Sagaciss.
 Willisius: Ego etiam de Animâ sensitivâ &
 sensibus plura olim congessi, quæ ubi fe-
 licius digessero, aliquando fortè literato Or-
 bi sistam, neque minores difficultates subsunt
 in fecundationis negotio, quod motu unicè
 absol.

absolvi nuper statuisti, ita quidem ut particulæ liquoris genitalis motæ, ovulo materno, tanquam suavissimæ Sponsæ, labris tantum extimis basia quasi figant, hincque suo defunctæ munere conclave pristinum repetant, imò & extra hoc ejiciantur. Subtiles sunt hæ Cartesii ruminaciones, quas præconceptis hypothesebus faturi, capient difficulter, in primis cum particularum in motu existentium ope, omnem ambiguitatem nos subterfugere non posse, deprehendam: id siquidem dubii remanebit semper, contactus hîc superficialius sufficiat nec ne, aut oportebit dicere, massæ sanguinæ, spiritibusque à liquore d. motum peculiarem imprimi, partesque embryonis singulas in ovo delitescentes, fœcundâ excitatione ab hoc beari: Ast metuo, ne liquor genitalis, ignobilior audiat ita, ipso ovo matris, & ad generationem tantum non, ut *causa sine quâ* non concurrat: Taceo, quod fœminis amoris œstro percitis, etiamsi hujusmodi agitatio contingeret, ovum nunquam sit delapsurum, nî liquor genitalis præsentia suâ illud irrorarit: Quæ cum maximi omnino sint momenti, prudenter de iis sentiendum & differendum arbitror, ne imperitis vel contrariæ opinionis Affectis, ansam Philosophiam nostram sugillandi, nostraque experimenta ridēdi præbeamus. Corollæ loco accipe historiam partus Monstrosi à Cl. D. D. Matthæo Hardero pronuper communicatam:

Nata

Nata est, inquit, hisce diebus in pago vicino Puella monstrosa, absq; fronte, naso & collo ac syncipite: oculi prominuli in summis & extremis faciei partibus, deformem ejus, instar larvæ (à quâ & abhorruisse dicitur) figuram reddebant: cutis leviter pilosa ad occiput usq; protensa erat, cui massa carnea rubra ac rotunda adharebat, tergo innitens, duplo major ipso capite, mollis ac parum diaphana, hydrocephalum fortè redolens: Reliquæ partes probè erant conformatae: Vixit per dies decem, tandemq; ob aëris defectum, ob quem etiam lac cum suffocationis periculo suxit, spirare desiit. Adeo imaginationes fortiores apud gravidas, formationis operi absolvendo præjudiciosæ ac noxiæ existunt quandoque. Vale.

Dab. Bas. d. 21. Novembr. 1678.

EXERCITATIO XXIII.

*Animalium ortus. Brutorum
machina & anima.*

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONR. PEIERUS S.P.D.

Nuper cochleam tuam tibi remisi cum additamento meo, quæ tibi jam reddita esse sperabo. De animalium generatione autem in compendio dixi omnia, quæ dici cum ratione posse mihi videbantur, vereor-que ut tibi sim molestus si eadem identidem repeterem aut prolixius enarrarem. Quas

tu

tu de motu nunc formas difficultates, jam pridem quoque à me ipso mihi ruminatas atque contra *Syvammerdamium* adductas, seponamus hac vice ne intricemur. Interea ratum maneat juxta normam optimæ philo-
 losophiæ fieri non posse ut particulæ seu corpuscula quomodocunque figurata solo motu fortuito in corpus humanum aut belluinum sponte coalescant: Sed necessario ad hoc opus omnino sapientissimum potentissimum-
 que architectum requiri, qui animalium machinas tam affabre & artificiosè componat; adeoque solum Deum formare cuncta animalia & foecunditatem ovis addere. Quæ cum ita sint quid obsecro absurdi est animalia dici Dei machinas vel automata, cum etiam à Davide Ps. VIII. operibus manuum Dei accenseantur? Caterum nos genera rerum duo summa comprehendimus, spiritum & materiam. Ille animam, hæc corpus sub se continet. Materia capax est figurarum diversarum & motus localis, spiritus intellectum & voluntatem possidet. Ex his jam sponte liquet sensum non cadere in materiã, neque etiam in corpus, quippe quod ex materia figurata seu divisa constat: nam sensus cum sit intellectus opus, mentem necessario postulat. Sed & manifestum inde est, opinor, bruta nihil sentire, quia constant ex materia divisibili, nec aliud sunt quam artificiosæ machinæ corporeæ vel automata. Si
 namque

namque illis præter corpus tribuamus spiritum sive animam, quæ ea sensus & cognitionis participia faciat, ita ut voluptate & dolore reapse afficiantur, non amplius bruta erunt, sed animalia rationalia perinde atque homines. Ubi sensus, appetitus & cognitio, ibi quoque intellectus adest tanquam comes individuus. Nam sentire proprietas corporis nulla est. Intellectus autem à sensu & idearum receptione & contemplatione pendet, adeoque & sensus & intellectus omnis soli animæ immateriali sive menti competit. Brutis ergo sensum nullum attribuimus neque cognitionem, ne confundamus quæ Deus distincta esse voluit, vel belluas immanes æquiparemus hominibus, aut ipsi degeneremus in bestias. O utinam multi hæc tandem aliquando majore cum attentione ponderantes, rationi auscultarent potius quàm sensuum fallaciis & præjudicationibus. Dolerem quoque vehementer, mi HARDERE, si clarissimi Willisii autoritas diutius te seduceret, qui brutis sensum & cognitionem quidem tribuit, animam verò immaterialem sive mentem denegat, qua sententia bonus solidusque philosophus nihil existimabit ineptius. Sequere tu potius hac in re meliora monstrantem & plerisque perperam exosum Cartesium, qui æternum laudari magis quàm culpari aut refutari meretur, licet contrarium sentiant obtrectatores plurimi. Veritatis scrup-

tis scrup-

tis scrutinio interdum obstat regula tua de sensuum externorum judicio & fide: nam oculi, nares, aures, lingua & manus nobis ad conservandam machinam regendamque vitam potissimum datæ fuerunt; ad indagandum autem veritatem facit mens, quæ sola veritatis capax est & nos ad hanc perducit. Nimirum necesse est ut anima nostra à corporibus & objectis sensibilibus quantum fieri potest abstracta sapientiæ & veritati æternæ uniatur, & præceptorem audiat Jesum Christum, in quo solo & per quem unum sapimus ac erudimur, multò solidius ac efficacius quam à Platone, Aristotele, & similibus. Vale.

Dab. Lutetia Parisiorum d. 1. Decembr. 1678.

EXERCITATIO XXIII.

Brutorum anima. Intestinorum glandula. Cor magnum.

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

DE *Cartesii* dogmatibus vel *Willisii* Philosophiâ, ut judicium feram ego, multis modis impediatur: Magna hæc sunt Nomina, quæ non possum non venerari: Fuit ille Philosophus subtilis, neque ejus hypothesebus probe semel stabilitis, malè quis inædificabit: Sunt tamen qui futiles illas arbitrantur, quòd difficile concipi ac intelligi pos-

possunt, imò adversus sensum communem pugnant quandoque, imprimis quòd sensum Brutis denegat & Animâ adhæc requisita miserè privat, contra ipsissima scripturæ sacrae verba, quæ brutorum animam in sanguine existere pronuntiat, atque admirandas eorum actiones hominibus sedulò imitandas sistit hic illic: hic verò Physicus fuit acutus, ac Naturæ scrutator sagacissimus, qui plurima quæ cultro reperit, suis ratio ciniis candidè post illustravit, neque animis discendi cupidorum terminis obscuris temerè imposuit, quod quidem *ille* fecisse fertur; Quid enim minus distincti dici potest, quàm materiæ essentiam in nudâ extensione consistere, & spiritum nil aliud esse quàm substantiam cogitantem? ibi quantitas & materia confunduntur, hic verò mens cum spiritibus vulgò dictis materialibus, qui licet non cogitent, ad idearum tamen impressionem recipiendam idonei sunt, id quod manifestè evincitur ex brutorum phantasiâ & memoriâ, quibus canes & Elephantus, machinæ diversæ sed nobiles, præcæteris eleganter videntur instructi: Exempla in locum non adducam, nè molestus sim; altioris quoque hæc sunt indaginis, quam quibus hæc vice excutiendis ego sufficiam: *Willisium*, qui volet, adire poterit, & assensum spero non difficilem nobis adhibebit: sed ad Medica: Celeberr. Wepferi tractatus de Cicut. aquat. noxis sub prælo gemit, proximis

nundinis cum aliis proditurus. Nos ineunte hâc hyeme animalium brutorum, cadaverumque humanorum Anatomiaë vacavimus: in iis glandulas intestinales, de quibus Tu laboriosè sollicitus aliquando fuisti, potissimū in scenā produximus: in his verò splanchnologia qualem cunq; spectatoribus exhibuimus, cordis præprimis quod vastæ magnitudinis deprehendimus in cadavere Adolescentis rustici, qui hydropico Asthmaticus diem suum obiit: longitudine continebat illud spirithamam, latitudine digitos octo, & in peripheriâ digitos octodecim: Juxta erat densum, summeque fibrosum, pendens ultra tres libras Medicas: quoad internam faciem, auriculæ cum ventriculis meris polypis & sero concreto erant referti, quos uberè, inprimis ex auriculâ ventriculoque dextris exemimus: nec minor erat moles reliquorum parenchymatum, hepatis lienisque quæ scirrhusa erant omnino, mesenterio satis laudabiliter se habente: Historiam pleniorum cum ætiologia observationes nostræ, publico cum Deo & tempore offerendæ, aperient. Tu interim fruiere his & Vale.

Dab. Bas. d. 16. Decembr. 1678.

EXER-

EXERCITATIO XXIV.

Cartesius. Anima brutorum. Intestinatorum glandula. Cor magnum. Diuturna graviditas.

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

NE sententiarum diversitas amicitiae vim inferat aut divortium animorum portendere videatur, malo ortum inter nos controversiam dimittere, quam vehementius urgere, licet tela & arma nunquam desint veritatis defensoribus ad reprimendos adversarios. Nec possum tamen charas literas tuas relinquere, quin amice iis aliquid respondeam. Verum est etiam in Cartesii libris errores reperiri: nam fuit & ipse homo. Falsum autem praecipua fundamenta, quibus is doctrinam suam superstruxit, inania esse aut ruinosa, si recte pensiculantur. Falsum quoque est Willisium philosophum fuisse Cartesio praestantio-rem. Notavimus enim in illius scriptis & fundamentis errata plurima vix toleranda & philosopho vero incongrua, quae hic nunquam erravit in suis. Nec aberrantium multitudo errationi bene patrocinator. Dictat ratio materiae essentiam consistere in extensione divisibili, quo dictamine acquiescendum esse mihi videtur. Quis enim dixit aut docuit meliora? E' contrario mens sive spiritus consistit

in cogitatione; nec aliud sane omni cogitatione nostra assequimur, quam spiritum esse substantiam cogitantem. Ergo male putas cogitandi potestatem soli humanæ menti concessam esse, cum substantiæ cuivis immateriali seu spiritui omni competat. Nam ratio nostra inter spiritus creatos aliam differentiam nullam apprehendit, quam quod ex iis alii sint soluti ac liberi à vinculo corporeo, alii juncti & uniti corporibus organicis. Corpus tamen ad essentiam spiritus sive mentis cui immissa est nihil facit. Spiritus quoque materiales qui animales vulgo dicuntur, & in cerebro geniti per nervos distribuuntur, ad recipiendas ideas idonei censentur: nam has ad animam immaterialem nos restringimus, quæ sola idearum capax est. Cerebro equidem & spiritibus animalibus varii motus & vestigia ab objectis externis animaque imprimuntur, sed vestigia hæc ab ideis illis, de quibus mihi sermo & mense rat, toto cœlo differunt. Cæterum spiritus animales, quia materiales & corporei sunt, sentire nullo modo possunt. Nam voluptatis & doloris boni maliq̄ue perceptio & distinctio fieri nequit nisi in mente. Brutorum actiones admirandæ omnes à solo machinæ artificio & impulsu vario pendent, ne utiquam à gubernante & conscia agendorum anima. Nec ordinem naturæ turbant ista vel confundunt, sed potius magno sapientiæ divinæ argumentum

gumento

gumento illustrent, quod exemplis tibi facile demonstrarem, si vacaret, nec alii id jam fecissent editis libris pulcerrimis, quos tu consulere & ruminari poteris. Brutis animam tribuentes sacrae literae, nihil immateriale sed illorum sanguinem duntaxat, quippe à cuius motu & incolumitate animalium vita corporea dependet, intelligunt: nam alibi eadem stupidos ac amentes homines brutis assimilant. Cum verò tu brutis sensum attribuis, annon eo ipso luculenter affirmas animam eorum esse incorpoream? Nunquam enim evinces sensum esse proprietatem rei corporeae. Mihi certè bruta utut vapulent, nihil doloris sentire ac pati videbuntur, quamdiu sacra manebit hæc Augustini regula; *sub justo Deo quisquam nisi mereatur miser esse non potest.* Intestinorum glandulae optimè apparent in ileo suis, si desint alia animalia. Raje cæcum intestinum suaviter rubet, perinde ac nonnullis avibus lien, totumque glandulosum cernitur. Multum tibi debeo quod illarum glandularum usum defendas atque tuearis mascule, fretus experientia multiplici. Quin gratias etiam tibi ago pro historia de corde magno. In cadavere virginis olim ab Henrico Glase-ro præceptore nostro Basileæ publice dissectæ cor vidisse memini tantæ molis, ut statera appensum libras civiles tres ponderaret. Dexter ejus ventriculus cum auri-

cula turgidus erat & repletus polypis accruore plurimo, sinister prope modum inanis; & valvulae mitrales in os degeneraverant, arteriam venosam obstruens, ut sanguis per pulmones ad cor transire prohiberetur, unde ortus hydrops, mox respirandi difficultas, denique subita praesuffocatio. Wepferi nostri cicutam aquaticam aliasque observationes laude dignissimas utinam brevi accipiamus. De diuturna illa graviditate quod denuo petis, paucis accipe: Tolosae hoc anno diem suum obiit mulier annis viginti quinque continuis gravida, in cujus abdomine visus est haerere infans extra uterum mortuus, sed non putrefactus. Perhibent matricem cicatrice notatam fuisse, & ex illa forte disrupta excidit foetus in cavum abdominis. Rem omnem uti gesta est Franciscus Bayle, medicus Tolosanus edito libro Gallico descripsit, cujus te aliquando faciam participem. Similem vero historiam olim legisse memini in Ephemerid. nat. cur anno III. obs. XII. Tu omnia ista boni consule & vale.

Dab. Parisius d. 30. Decembris 1678.

EXERCITATIO XXIV.

Cochlea terrestris. Glandulae stomachicae & intestinales. Renum calculi.

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JACOBUS HARDERUSS.P.D.
Incre

Incrementum sumit Cochlea mea, non
menstruum sed diurnum, cum singulis
ferè horis lineolam aliquam ipsi adjicere
tentem: pluralitas quoque partium & vaso-
rum varia ac mirifica structura, quam ma-
gis magisque rimari institui, ad ulteriorem
operam scripturientem instigant adhuc, ut
qualemcunque partus absoluti speciem adi-
piscatur tandem, tardigrada: Accedet bel-
larii loco usus ejus in medicinâ & culinâ,
quorum illum Vulcani ope vel confirmabo
vel destruo; id quod facere me hortatus
ὁ πόνυ *Wepferus* vester in suis nuperrimis.
Glandulas intestinales eodem in insecto de-
monstrarem libenter, nisi oculos nudos minu-
tula subterfugerent, adesse tamen, tributum-
que debitum exolvere, nullus dubito, licet
eas, in animalibus etiam perfectioribus, non
pauci rejiciant, quibus ego, utpote citra ra-
tionem & experientiam talia asserentibus,
acriter resisto, siquidem plurimum in brutorum
exenteratione illas demonstrârim apertè,
atque haud ita pridem foetus vitulini intesti-
na tenella, in quibus plexus hujuscemodi pro-
tuberabant copiosè, fidem huic invento fe-
cerint amplissimam; In cuniculo Brasilien-
ti vidi easdem cum stomachicis, quas nigri-
cantes, latas, sed parco numero deprehendi,
contra quam in canibus, in quibus & copio-
sæ & intestinalibus similes, prout etiam illas
accuratè describere memini *Clariss. Willisium*:

In cadavere hydropici, quem paucis diebus post secui, glandulas easdem persequi nisus sum, sed irrito successu, fortè, quod diuturnitate morbi, fatiscente illarum usu, ipsæmet quoque disparuerunt: Memoratu digna est materia calci similis, quâ Ren dexter summo opere fuit infarctus: Rene sinistro ab eadem vacuo quidem existente, sed tamen vasis maximè distentis superbiente extus (quorum sub insertionem hydatis insignis erat conspicua) & papillis urinariis, osculis suis mirum quantum hiantibus, intus horrido: Tute de his judica, qui Renum structuram optimè perspectam habes, & quî huiusmodi materia restitârit, facile dignosces: Ego etiamnum in theculâ copiam non paucam calcis istius, quam cochleari commodè exemtam, aëri prius exposui, ut in calculos abiret, seruo studiosè, Naturæque curiosis, ubi petierint monstro, quò nobiscum illi mortis causam ruminent, & veritati testimonium idoneum perhibeant. Vale.

Dab. Bas. d. 7. Jan. 1679.

EXERCITATIO XXV.

*Cochlea terrestris. Renum calculi.
Glandule intestinorum & ventriculi.
Animalia ex plantis.*

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.
Coch-

COchleam tuam crescere lætor, ut aliquando in lucem prorepat è latibulis. Nuper observavi cochlearum mucum, quem illæ copiosum reddunt ac excernunt, in tales bullas vento extendi posse, quales pueri ex aqua factitant, in qua detritus atque solutus est sapo, factosque lusu in auras subtracto tubulo emittunt, A te pupillæ assimilatum foramen, qua comineat aër, vicinum est illi per quod alvus exoneratur. Pericardium cochleæ sæpe turget humiditate. De hydrope historia insignis est quam tu mihi significasti. Obscurum tamen quomodo materia calci similis in rene dextro congeri potuerit. Puto etiam renibus fibras quasdam esse motui aptas, quibus languentibus aut impeditis, neque serum facile propellitur, nec crassior materies, sed stagnans coit & accrescit. Ventriculi & intestinorum glandulas nuper in cadavere mulieris torosæ, quæ laqueo vitam finivit & cultro meo in prædam cessit, elegantissime conspexi ac demonstravi pluribus. In cœco, colo & recto usque ad podicem magnus earundem quoque fuit numerus & pulcra compositio, in qua vasorum sanguineorum ramuli rubicundi tam manifesti apparuerunt, ut in ruborem dare possent Muraltum, negantem vasorum in crusta intestinorum præsentiam. Francisci Redi librum de insectis præterita æstate pervolvi, & si fas est dicere ad incudem revocavi. Fidei illius experimenta nostra plerumque re-
spon-

sponderunt. Omnem enim vel minimam bestiolam aut muscam fieri ex ovo ceu semine præexistente, nunquam è sola putredine vel corruptione, animadvertimus. Nondum tamen adduci potui ut nobili huic Aretino adstipularer, existimanti arbores quasdam & plantas à natura vim obtinuisse, ex sese producendi ova & excludendi animalia, quæ ab aliis animalibus originem non traxerunt. Hoc ego fieri haut posse judico, mihi quæ valde ineptum videtur à planta generari animal. Nemo dat quod non habet. Tu sententiam auctoris per otium expende & experientiam præterea consilio adhibe ac Vale.

Dab. Lutetia Parisiorum mense Febr. 1679.

EXERCITATIO XXV.

Cochlearum mucus & ova. Ovi ductus Vitulini: Gallinarum ingluvices. Brutorum anima.

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

MUcum cochlearum in bullas redigi posse, nostrâ quoque compertum habemus experienciâ, evidenti indicio viscositatis suæ oleosæ, cujus ratione agglutinantis quoque est naturæ & ad humorum acrimoniam corrigendam commodum remedium. In spumâ hæc ova sua deponere Author est *Harveus*,
in

in aureo de generatione animalium tractatu: nobis adeo felicibus esse hactenus non licuit, ut ovula cochlearum videremus, quamvis eorum existentiam dubiam non faciam, sine ovo enim generationem difficilem esse omnino persuasum habeo: *Franciscus Redi* eruditè de insectorum generatione differit; Optandum esset ut pariles, Mecœnates aliis quoque cum ipso obtingerent. Rei Medicæ emolumento non exiguo & experiundi cupidis incitamento singulari. In foetuum Vitulinorum nuperâ sectione ovi ductus attentius examinavimus, eosque ad testes ferè usque perviosprehendimus; idem quoque in infundibulis gallinarium sæpius notavimus; fibrosæ sunt illorum extremitates & peculiari cuidam motui haud dubiè destinatæ. In eodem volatili-um genere, gulam ingluviemque glandulosam cum artificiosâ ventriculi fabricâ miratus sum pluries, quam posteriorem ingeniosè satis **Tu** explicuisti. De ruminatione & ruminantibus, quæ meditatus es avidè itidem expectant ac expectunt complurimi, quod industria & eruditio Tua literatis multum jam innotuit: aquod nos prodibit propediem *Celeberr. VVe- pferi Cicuta*, cum Examine nostro Anatomico Cochleæ, cui præmittemus Dissertationem succinctam de *Humoribus*, ubi rem faceres gratissimam, si quæ de lymphæ generatione ac naturâ, ovoque muliebri ulterius ruminat-ur es, amicè aperires, *illam* enim satis abstru-
sam

fam, *hoc* vero à plurimis adhuc dnm falsè derideri video. Nec minus Tibi devinciremur, si aliquando de Animâ Brutorum disquisitiones olim vel itas, reassumeres: multum enim difficultatis & obscuritatis inesse video sententiæ communi, arbitrorque firmiter, terminis in Scholasticorum cerebro tortuoso effictis eam magis inniti, quam sanæ rationi ac experientiæ: nollem tamen cuiquam hic injuriam fieri: cùm ipsemet Brutorum hanc prærogativam pertinaciter aliquando defende- rim: liberè sentire de his per me unusquisque poterit, dummodo clarè & distinctè sua singuli proponant. Vale.

Dab. Bas. d. 13. Febr. 1679.

EXERCITATIO XXVI.

Clariss. WEPFERI cicutæ aquaticæ.

*De humoribus & in specie de lym-
pha quadam,*

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONR. PEIERUS S. P. D.

Celeberrimi Wepferi cicutam aquaticam apud vos sub prælo esse ex tuis intellexi cum voluptate, etiamsi horrorem aliis incutiant venena. Scio enim in eo libro salutaria multa prolaturam esse medici summi industriam, quibus curiosorum animi utiliter reficiantur. Sed & cum gaudio percepi te de humoribus & cochleæ terrestri observationes medi-

medi-

meditationesque tuas propediem emissurum, quod ut felix faustumque sit voveo. Doctrinam de humoribus corporis humani equidem tanti semper existimavi, ut alterum valetudinis humanæ medicinæque momentum in hoc cardine versari crederem. De lymphæ sententiam meam petis, rem hercle difficillimam. Lymphæ enim licet magna sit limpiditas, obscuri tamen natales. Forsan diu adhuc latebit modus, quo in abditis glandularum recessibus cæterisque membranis ejusmodi secretiones peraguntur. Expedi autem quousque licet à notis ad ignota penetrare potius, quam intentatum aliquid relinquere. Mentem ergo meam tibi paucis aperiam, quam ut eo faciliùs capias, scias velim lymphæ nomen hic à me restringi ad pellucidum illum humorem duntaxat, qui à variis partibus membranaceis, musculosis & glandulis quibusdam singularibus, per transparentia & peculiaria vasa tanquam aquæductus fluit ad sanguinem, ei que sive solus sive cum chylo junctus admiscetur. Ex quibus intelligitur lympham esse aliquid à chylo, lacte, saliva, succo pancreatis, & cæteris humoribus, reapse distinctum. Jam porro lympham arbitror nasci è sanguine & redire in sanguinem. Omnes etenim humores ortum sanguini debent & sunt propter illum. Non me fugit quibusdam nervos lymphæ scaturiginem videri, quam propterea affirmant esse spiritum anima-

anima-

animalem condensatum seu in liquorem re-
 ductum. Meo autem iudicio, quod sentio ta-
 men quam sit exiguum, spiritus animales e-
 tiam si fluida sint corpora in lympham nullo
 modo coeunt. Nam in cadaveribus hæc ipsa
 superstes adhuc sæpe cernitur, ibidemque su-
 binde augetur, nec abit in auras spirituosorum
 more, sed concrefcit ac inspissatur igne. E
 sanguine igitur lympham secerni statuo.
 Quomodo autem id fiat me latet: nam igno-
 rantiam fateri malo quam ineptum ferre ju-
 dicium. Fert quidem multorum opinio se-
 cretionis hujus organum esse glandulas illas
 quas ad cæterarum distinctionem congloba-
 tas appellavere. Sed quam ceu veram reci-
 piunt res anceps adhuc est, & nondum satis ex-
 plorata aut perspecta. Nam & Diaphragma,
 & artuum musculi, & speciatim quoque pe-
 corum ruminantium ventriculus primus, &
 membranæ partes aliæ lympham ex se de-
 promunt, glandularum visibilium nihilomi-
 nus exortes. Quas vero oculis usurpare pos-
 sumus glandulæ conglobatæ omnes lym-
 pham & vasa prius admittunt, aliunde veni-
 entia, quam emittunt; nec dici possunt lym-
 pham generare, sed trajicere. Puto ergo lym-
 pham esse succum qui à nutritione partium
 redundat, vel propter tenuitatem agglutina-
 ri non potuit nutriendis partibus. Quod de-
 mum ad alteram quæstionem tuam attinet de
 generatione ovorum muliebrium, quanquam
 pri-

pridem cuncta exposuisse mihi videar, affirmare tamen deinceps nullus dubito, corpus humanum esse manuum Dei opificium. Parentes motum machinae imprimunt ei que incrementum & alimoniam procurant. Vale.

Dab. Lutetia Parisiorum d. 11. Febr. 1679.

EXERCITATIO XXVI.

*De partium nutritione & lymphâ,
lapillo in cerebro gallinae & leporum
sexu.*

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

Obscure licet lymphæ sint natales, & arduum dictu quâ vel unde prodeat pellucens hic humor, Te tamen interprete patefcunt magis, probabilesque fiunt vel maximè dubitantibus: Ego ecquidem mihi tam suffenus non sum, ut ejus secretionem à Naturâ providè institutam, meâ industriâ explicare aggrediar: novi exercitatiores huic negotio deberi humeros: id interim persuasum habeo firmiter, excrementum illam non esse, sive utile sive inutile, cum partibus alimentariis ipsam constare inficiari possit nemo, etiamsi post nutritionem partium peractam, tanquam residuum aliquod in vasa propria recipiatur & versus truncum suum remeet: neque enim succus nutritius omnis, uno eodemque ictu partibus apponitur, vel
ag-

agglutinari secundum omnes sui partes idoneus est, id quoniam membra desiderant unice quod & proportionatum & sufficiens, motu continuato suppeditatur à corde. Nil proin absurdi, statuere humorem lymphicum ex sanguine progenitum, dum huic restituitur, ulteriori motu ita disponi, ut, qui nuper partibus adhærescere erat ineptior, nunc admodum huic ipsi officio sit idoneus. Nec video, qui aliter se extricare possint, in artibus ceu partibus nutritis lympham qui scaturire asseverant, eamque, quod in auras non abit, igni exposita, sed in gelatinam concrescit, à sero diversam pronuntiant. Hæc ipsa autem secretio, Apolline Vate opus habet. Partes singulas nutriri beneficio accedentis succi alimentarii per arterias, constat, neque sub iudice puto esse amplius, aliis adhuc cum partibus ipsum esse sociatum, quarum nonnullæ inidoneæ & crassiores, nunc transudant per poros cutis vel in sordes concrescunt, aliquæ verò fluidiores, quibus vel non indiguerunt illæ, vel frui non potuerunt, in vasa dicta secretæ recipiantur, reliquo liquore rutilo quem sanguinem dicunt, oscula venarum interea subintrante. Isti actioni nobilissimæ, quæ seris nutritii est legitima segregatio, num glandulas quas minutulas fingere oporteret, præfigere sit necessum, dubito? cum mihi spiritus animalis sufficiat, non ad motum solùm, sed ipsam nutritionem feliciter

licius

licius pertexendam, partibus musculosis forte concessus: Patet hinc ipsorum menti me non subscribere, qui animalibus spiritibus originem suam primariam omnem lympham debere suspicantur, & quidem ex horum reliquiis, ubi partes functiones suas obierunt, superstitibus, eam quoniam in spiritibus fluiditatem, quæ lymphæ est concipere non possum; Facilis foret ita non succi nervei modo, sed & spirituum animalium demonstratio, quam tamen arduam unanimiter ferè confidentur omnes: mirati subit insuper cur non omnia vasa cerebrum versus terminentur ilicò, ut nervis quod acceperunt nitroaerei restituant, quodque nervi ligati non intumescant pariter, ut ductus lymphici, simili fluido si sunt referti; ut alia taceam, incommoda imprimis, quæ lymphæ acrior producere solet, spiritu aëreo suâ in temperie sæpissime integro subsistente. Adhuc magis absurda somniant, qui ex halitibus, sanguine arterioso ebulliente, copiosè exurgentibus, atque in aquam tenuem solutis, illam prodire autumant, præterquam enim quod hujuscemodi halitus in artibus, præprimis insensibilis transpirationis authores videntur esse, causam etiam efficientem hujuscemodi destillationis vel resolutionis nondum satis capio; frigus enim accusare non licet, quod interiora calent admodum: ast quibus major est ingenii acies, ista excutiant amplius: mihi tantisper

K

hæc

hæc rimatum esse sufficit. Nuper ab amico exhibitus mihi fuit lapillus haud parvus filicis figurâ & duritie, quem in cerebro gallinæ reperit: per quos meatus commodè hic eò delatus sit, decidere difficile est. Animum quoque torfit jam sæpius, de leporum sexu quid statuendum sit, cum hermaphroditis illos accenseant haud pauci, sed fortè minus ad *αὐτοψίαν*; quotquot enim secui mares, pene gaudebant, & femellæ utero cornuto ad usque ovarium, quod ovulis minutis erat donatum, instructæ erant: Naturæ hinc errorem dixerim, quem observamus multoties, si unus alterve lepus, utriusque sexûs genitalibus præditus repertus fuit. Vale.

Dab. Bas. d. 15. Febr. 1679.

EXERCITATIO XXVII.

Scrupulus in cerebro gallinaceo. Leporum sexus. Vir excastratus. Hystricum genitalia & capsula atrabilaria. Prostata muliebres. Glandula in podice animalium & uropygio avium. Organum auditus piscium.

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

Nihil mihi jucundius est amore nostro & exercitationibus mutuis, quorum utrumque perpetuum esse cupio ac illibatum. A gallinis lapilli crebro devorantur, quos ad
com-

comminuendam escam dentium loco adhibent in ventriculo carnosio & molæ simili. Calculum ergo quem in cerebro gallinæ repertum fuisse asseris, aliunde illatum potius quam in capite genitum existimo, etiamsi transitus à ventriculo & intestinis sit perquam difficilis mihi que impenetrabilis. Forsan autem via cum tempore vi patefacta fuit, quo modo etiam ureteres nonnunquam ita aperiuntur ac dilatantur, ut magnæ molis calculos transmittant. Mitto dicere de iis qui deglutitos ceraforum nucleos cum lotio reddidisse leguntur. Dicam saltem me nuper acum reperisse cordi vaccæ infixam, quo illa penetrare mihi non potuisse videtur nisi cum chylo per intestina & vasa minima. In lepore foemellis penem nunquam observavi, nec in masculis uterum, ut dubitem an cochlearum instar sint Hermaphroditi. Nodum dissolvat experimentorum pluralitas. Casparus Bartholinus in act. Hafniensibus Vol. I. obs. CXXXVI. & in exercitationibus suis miscellaneis nonnulla annotavit, quæ te fortassis adjuvare poterunt vel ex animo tuo scrupulum evellere. Ovarium leporinum mecastor elegans est, sed à masculinis testibus plane diversum: in illo minuta ova sic latere animadverti ut vix conspiciantur, & numero plura, si non effoetus lepus fuerit. Masculi testes supra penem gerunt & in inguinibus, uti cuniculi. Haut ita pridem in ædibus clarissi-

mi Petri Bourdeloti virum lustravimus testibus & pene truncatum, quæ illi in itinere apricanti petulantia militum abstulerat, ita ut genitalium loco foramen duntaxat superfit, qua urina excernitur. Quamvis autem & vesiculæ seminariæ & prostatae salvæ sint atque superstites, pruritus tamen omnis exulat vel ad libidinem propensio, cui ante perlitatum erat sæpius. Adeo falsa Venus in testibus & verpa unice residet, ut iis amissis pereat salacitas. Hystricibus præter binos testes datæ sunt vesiculæ seminales quadrigeminæ totidemque prostatae, omnia in urethram penetrantia, quod nuper in horto regio cum voluptate nec sine admiratione vidimus. Reperimus quinetiam in hystrice mare capsulam illam quam atrabilariam cognominant, utrinque renibus æqualem & nitente pinguedine turgidam. Hanc in ipsis his capsulis glandulosis genitam & secretam fuisse ad ignotos mihi usus, quos tamen scrutari licebit, adducor ut credam: nam etiam oleosa, pinguis & accendi apta glandulæ fecernunt. In cadavere mulieris glandulas binas sub cruribus clitoridis latitare vidimus nuperrime, & propter Nymphas gemino ductu in vulvam se exonerare. Has clarissimus Du Vernius pro veris mulierum prostaticis reputat, quas ipse primus Casparo Bartholino in vacca demonstraverat, qui eas postea in libro de structura diaphragmatis Cap. III, sect. V. Parisiis,

rifiis,

rifiis, & in epistola de ovariiis mulierum ad Guilielmum Rivam scripta Romæ divulgavit. Similes prope glandulas notavimus etiam ad extremum alvi multorum brutorum, sed nescimus adhuc quid commodi iis afferant. Quid tu de glandulis illis sentis quæ avium uropygia stipant & oleosum succum continent? Puto hoc obliniri quandoque pennas, ut cohæreant nec facile madescant. Scire quoque desidero an quid unquam observaveris de organo auditus piscium. Refert Nicolaus Stenonis se cartilagineos quosdam circulos deprehendisse, similes illis qui in avibus ossei prostant. Quæsi vi jam aliquoties in carpionibus, sed nondum reperi. In halecibus autem circulos aut arcus quosdam detexi, ast cartilagine solidiores. Tu periculum facere poteris in salmonibus, quibus Rhenus vester abundat. Vale.

Scribebam Parisiis die 17. Martii 1679.

EXERCITATIO XXVII.

*De partibus genitalibus. Vesiculis
seminariis & glandulis in uropygio
avium.*

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JACOBUS HARDERUS. S.P.D.

FAvet vobis Cœlum, & fervore experiundi
toti incalescitis, unde non potestis, non
curiosa quæque scrutari ac detegere, dum

K 3

pri-

privatis laribus sacra facere interea tenentur
 alii, eaque saltem, quæ maximè obvia sunt,
 animo manuque ruminare. Notatu sanè di-
 gnum arbitror, tot partibus seminariis Natu-
 ram providam non homini modo sed & a-
 liis animantibus prospexisse; in solis atramen-
 testibus præcipuos amoris aculeos hæere a-
 deò, ut hisce deficientibus langueant omnia,
 adque amplexum mutuum homines inertes
 fiant: Dicendum ne ex theculis illis pretio-
 sis, spiritum quendam cæterarum partium
 contenta irrorantem tempore *συμμίξεως*
 communicari? vel liquoris spirituosi copiam
 inde unicè derivandam esse? Dubius sum,
 & quid sentire debeam hæreo, quamvis po-
 sterius veritati magis consonum existimem,
 nullâ inter vesiculas seminales vel prostatas
 cum testibus, vasisque his appensis existente
 communione: *Vesiculas seminales* in sectione
 pueri quatuordecennis, & hac ipsâ septima-
 nâ in apro juvenculo industriè examinavi;
 ullum autem, quod equidem D. De Graëf
 iis attribuit, cum vasis ejaculatoriis iis inter-
 cedere commercium observare distinctè non
 potui, neq; etiâ in hujus Viri, cætera bonorum
 omnium encomio dignissimi, sententiam va-
 dere possum, glandulosas illas esse perne-
 ganti: contrarium me docuit experientia,
 cui dum spiritu potiar majori fide semper li-
 tabo: Id majori indagine dignum, quod A-
 ristoteles proponit de tauro, qui post exectio-
 nem

nem

nem testium genuerit adhuc: sunt qui rem
facilè expeditam putant, Vesicularum semi-
narium ope, quas liquoris genitalis reservato-
rium aliquod esse dicunt, in quo semen ad
futuros coitus sufficiens retineatur sed abla-
todictò commercio, hæc quoque ratio spon-
teruit: Ego fidem Philosophi dubiam non fa-
cturus, si modo taurus castratus generâvit, ex
semine in vasis ejaculatoriis residuo, commo-
dius foecundationem deduci posse credide-
rim: nulli tamen heic infallibilitatis leges
obtrudam: Cui demum humori secernendo
Renes succenturiati destinentur, nondum pro-
nuntiare possum: id scio pinguedine multâ il-
los obtegi, quâ item in obesulis *Renes* copiosè
foventur. Mulierum prostatas hæctenus non
vidi, licet norim profluere salacibus humo-
rem, quem Veteres semen esse femellarum
augurati fuerunt perperam: Glandulas in u-
ropygio gallinarum & avium quod concer-
nit, de iis plenam sententiam ferre nequeo:
humor si è pressis stillat oleosus, madefaci-
endis pennis eum mancipari verisimile est:
aliàs ureterum in iisdem volatilibus usus late-
bat olim, donec insertio in intestinũ rectum,
materiæ serosæ, pro humectandis fæcibus,
eò devehendæ illos in servire docuit. Vale.

Dab. Bas. d. 22. Mart. 1679.

EXER-

EXERCITATIO XXVIII.

*Equæ anatome fortuita. Vermes in
ventriculo equino.*

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

Etiam in itinere ad te scribo, mi Hardere, ne nusquam me exerceam, nec ignores te mihi ubique esse præsentem. Scribo tamen imprimis ista ut certiore te faciam nostræ festivitatis. Nuperrime Burgundiam peragrantes alicubi ad viam publicam incidimus in equam recens mortuam, quam dissecavimus sprete pluvia & cœli tempestatibus. Magno enim desiderio tenebamur lustrandi equina interanea. Ventriculus in duo veluti conclavia concameratus erat, leporino quam humano vel canino similior: nam & œsophagus medium ventriculi petebat, perinde ac in leporibus & muribus atque cuniculis. Fibrarum concinnitas pulcerrimum dedit spectaculum, quam nemo facile descripserit. Conabimur autem aliquando tibi per schematicos id ob oculos ponere quod verbis exprimere negatum. Alterum conclave à sinistris scatebat vermibus. Hos in equa adhuc vivente genitos, nec demum è putredine ortos, arbitramur: cadaver enim recens erat, nec putrida exta; vermes autem tanti, ut tam exiguo temporis spacio in eam adulescere nequi-

vis.

vissent magnitudinem. Mentiebantur quodammodo erucas vel bombyces, sed absque pedibus. Præterea teretes erant singuli, pollicem unum æquantes longitudine, crassitie calamum sive pennam anserinam, qua vulgo scribimus. Caput iis exile, venter sibi æqualis, podex crassus & cauda nulla terminatus. Totum vero corpus in interfectiones complures divisum, sectionem quamvis in orbem stipantibus apicibus seu aculeis nigris & duriusculis, qui corporis superficiem propterea asperam & adhæsiōni aptam reddebant. Color vermium quibusdam albidus, rubicundus aliis. In capite eorum eminebat rostellum, nigrum, bifurcum, & hami vel anchoræ instar recurvum. Hoc ventriculi poris impacto tam firmiter adhæserunt vermes, ut ad evellendum vi opus fuerit. Tu jam ipse tibi finge quale spectaculum exstiterit, sexcentis ejusmodi vermibus obsessum equæ ventriculum intueri. Dextrum conclave vermibus caruit, penitusque inane fuit. Cœcum & colon intestina abdominis præcipuam impleverunt partem. Illorum quodlibet ventriculo majus atque capacius. In colo feces, in cœco lumbrici teretes innumeri, in tenuibus denique intestinis vermes cucurbitini à prioribus plane differentes, delituerunt. Uterus bicornis fuit. Ovarium geminum & ovis insignibus nuclei avellanæ vulgaris instar præditum. Uteri tubæ multis flexibus hinc inde

intortæ, In utero nihil glandulosi ad sensum.
Cætera silentio nunc prætereo, ne diutius æ-
quote detineam vel morer. Vale.

*Scribebam in civitate Divionensi, Burgundia metropo-
li, d. 22, Aprilis 1679.*

EXERCITATIO XXVIII.

*Anatome partium genitalium
aprunculi.*

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JACOBUS HARDERUSS.P.D.

ITa ne, mi Pejere, Anatomes amore exæ-
stuas, ut nec in itinere otiosus esse possis.
Desiderium hercle laudatissimum, quo uti-
nam tenerentur plures! Equi partes *Severi-
num* quoque lustrâsse video, virum *πολυμα-
θέστατον*; Memini hic post cœcum intestinum
coli, postque hoc alius cujuspiam Ventriculi
formam habentis, quod ego colon conti-
nuatum crediderim, cùm ventriculum ca-
pacitate & magnitudine, in equâ illud super-
âsse scribas. Cæterum *ἀντιδωρα* loco quod
retribuam non habeo, præter examen parti-
um genitalium aprunculi, cui haud ita pri-
dem vacavi: dici nequit quam egregiis ani-
mal hoc partibus instructum fuerit; primò
enim se obtulerunt testiculi, quorum alter
forinsecus pendeat, alter verò brevior mul-
tò, intus delitescerat: hinc vasa ejaculatoria,
sub prostaticis, quæ ex minutis glandulis con-
flata

flatae albicabant, in urethram inferebantur; post quatuor circiter digitorum transversorum distantiam ad fuit corpus glandulosum aliud (quod Vesiculas feminales forsitan constituit) longum, teres & duriusculum, ad contactum nerveum quasi, & internè ex plurimis glandulis compactum: hoc ductu evidenti ad radicem penis, in hujus cavitatem se exponerabat. Rursus extra capacitatem ventris, ad latera membri masculi appensus erat utrinque corpus aliud, quod vasis ex hypogastrio oriundis, glandulis majusculisq; & duriusculis ornabatur, ductu instructum in super, ad priapi caput usque pergente: hoc ego pro oblinendis urethrae interioribus humorem suppeditare, probabiliter censeo. Animadverti ulterius, membranam quae vesicam integit, & parte posticâ intestino recto firmiter adherescit, glandulosam esse itidem vasculisque pluribus, ductibusque versus urethram qui reflectuntur gaudere. Pressae haec glandulae cum caeteris, stillabant humorem merè serosum, neque enim à juveniculo admodum, genuinum semen expectare licuit, vel liquores variae consistentiae, quos alias in adultis notavimus & de quibus eruditè *ὀππίου* Wepferus Ann. 3. Ephemerid. Nat. Curios. Vale.

Dab. Bas. declinant. Majo 1679.

Ex.

EXERCITATIO XXIX.

*Muli genitalia. Theophili Boneti**Anatomia practica. Avium urina.**Lapilli chelidonii. Conchylia.*

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

Nuper ad te de equa scripsi è Burgundiæ metropoli, juvat nunc de mulo scribere, quem his diebus Monspeliî dissectuimus. Namque scias velim nos id genus festivitatis à multo jam tempore ita assuetos esse, ut eas etiam feriis nostris immisceamus. Diu hercle multumque in ea opinione hæsi deesse mulis aliquid ex organis generationi intervenientibus, quod nec coire nec speciem suam propagare observentur more cæterorum animalium. At aliud me docuit experientia rerum magistra optima. Cùm enim in rem præsentem iremus & testes mulis esse vidimus, & epididymides, & præparantia ac deferentia vasa, & seminarias vesiculas, & prostates in urethram pervias, & priapum, denique omnia quibus ad coeundum, speciemque propagandam masculinus sexus indiget, nec ipso semine excepto, quod in testibus & vasis deferentibus vesiculisque seminariis album stagnerat. Quin muli quoque penem sæpe arriunt arrectumque vibrant, ut existimem deinceps sterilitatis causam non esse

esse

esse à genitalium defectu aut imperfectione arcessendam. Theophili Boneti anatomiam practica[m] audio prelum evasisse, multorum votis expetitam, quæ nobis incitamento fit ad studia & exercitia nostra promovenda potius quàm intermittenda. Cæterum ut ad tua nunc progrediar, pennatæ aves carent equidem vesica urinaria, sed tamen non destituntur lotio; si modo lotium sit, uti esse puto, id quod in renibus à sanguine secernitur atque inde per ureteres excernitur. Hoc alvi excrementa pennatorum dilui ac attenuari nullus dubito. Cloaca verò audit in avibus lotii & stercoreis commune receptaculum, possentque feces sine urina nihilominus excerni. Uropygii glandulæ multum distant à renibus gallinaceis, neque illis est ullum cum ano commercium. His diebus in hirundinum juniorum ventriculis reperimus lapillos tenues, latos, & albos, quosdam etiam fere orbiculares. Adstantium nonnulli persuadere conabantur esse chelidonios, sed nos iis adstipulari noluimus, si fumantur pro lapidibus in ventre ipso genitis. Nam revera nihil aliud erant quàm testarum conchyliorumque fragmenta, plurimis indicis, quæ hic opus non est enumerari. Puto autem testarum concharumve particulas facere ad comminuendam escam in ventriculo, perinde atque glarea in gallinarum stomachis. Conchæ portionem ventriculo elapsam quoque

que

que notavimus in principio intestinorum, Amaricabat ea degustata, ob bilem illi adspersam. Nescio an his scrupis similes fuerint illi quorum Plinius meminit hist. nat lib. XI. cap. XXXVII. his verbis; *In ventre hirundinum pullis lapilli candido aut rubenti colore, qui chelidonii vocantur, magicis narrati artibus, reperiuntur.* Certè in vicini maris littore varia conchyliorum genera nuperrime collegimus, & inter ea quoque cochlearum marinarum plurimas domunculas, in quarum structura perfectissimam naturæ geometriam subinde cum admiratione contemplamur. Vale.

Dab. Monspeli d. 20. Junii 1679.

EXERCITATIO XXIX.

De mulorum sterilitate, limacibus, & vesiculis seminariis Porcelli Indici.

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

Literas Tuas unà cum cista & microscopio probè accepi, quorum illam tuis ilicò reddi curavi, pro hoc autem aliisque quibus me beâsti cimeliis, diaphragmate inprimis agnino eleganti, gratias actito maximas, id in votis habens potissimum, ut lautioribus deliciis vicissim te reficere potis sim: Muligenitalia à vobis studiosè iustrata, salivam
movent

movent mihi in ipsorum sterilitatem inqui-
 rendi ulterius, quam rejici video ab Aristot.
 Hist. anim. l. VI. c. XXIII. ubi mulum coire,
 mulamque parere perhibet, asseri verò l. II.
 de gener. anim. c. VIII. ubi τὸ τῶν ἡμιόνων γέ-
 νεσθαι ὅλως ἀγονον pronuntiat: quæ invicem qui
 quadrent viderit ille, ut & quæ sub finem
 capit. ejusdem affert: ὥστε συλλαβεῖν μὲν ἐνδὲχέ-
 ται ποτε τὴν θήλειαν ὅπερ ἤδη φαίνεται γεγονός. Ἐκ-
 τρέψαι δὲ καὶ ἐξενεγκεῖν εἰς τέλος ἀδύνατον. ὅσην
 ἀρρῆν ποτὲ γυνήσκειν αὐν. Διὰ τε τὸ θερ μώτερον εἶναι
 τῆς θήλειας φύσει, &c. Ego naturam à mon-
 stris, quibus hoc animalis genus, accensitum
 fuit hætenus, abhorreere persuasum habui,
 neque per confusam σύμμειξιν sui conservatio-
 ni intentam esse: Fateor quidem, membris
 spermaticis adeo liberaliter iis concessis, sen-
 tentiam magis arduam fieri: neque etiam in
 liquore prolifico desiderare quidquam facile
 est, iisdem studiosè admodum fabricatis.
 Aut itaque hypothesis olim recepta cadit, aut
 aliunde sterilitatis causa deducenda; circa
 quam tantisper multi hæsitabunt, nî ad ju-
 stam Dei omnipotentis voluntatem confu-
 gerint: quæ cum altioris sint indaginis, aliis
 excutienda lubens relinquo: Ex limacum ge-
 nere hæc æstate aliquot ferro denuò tentavi,
 ut limacologia prima jacerem fundamenta:
 gaudent illæ corculo, quod sub clypeo tu-
 tum latitat, & vasculo cellulato, (quod ute-
 rum in appendic. ad Exam. Cochleæ meæ ap-
 pellito)

pellito) cum substantiâ limosâ & plexibus tortuosis illi continuis, aliisque. Succi quoque cicutaë terrestris vires explorare animus est, ut num pares sint cum Cicut. aquat. Curiosis exponere queam. Partes genitales porcelli Indici, (de quibus Warthon, nuper legeram) itidem scrutatus sum: placuere autem præ cæteris *Vesiculae seminales* membranosaë & glandulosaë, quibus appensum vidi corpus serpenti forme, refertum materiâ albicante instar sebi modicè concretâ, usum hujus nec dum compertum certò habeo. Quos Medicos jam alat Monspelim, proxime, si placet significæ, ut & mihi illorum innotescat præstantia aceruditio, aliisque nostrâ operâ, si cubi voluerint, eorundem alloquio frui interdum possint. Vale.

Dab. Bas. d. 5. Jul. 1679.

EXERCITATIO XXX.

Academia Montis Pessulana. Glandule in lacertarum femoribus. Porcelli Indici vesicula seminaria. Gryllotalpa ventriculus.

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONR. PEIERUS S.P.D.

MOnspelii medicinæ studium usque & usque viget, etiamsi ab aliis parvi fiant ejus cultores. Professores quatuor nunc præcipue

cipue clarent, Schiconæus, botanicus & anatomicus, idemque universitatis cancellarius; Durancus, facultatis medicæ decanus; Castellanus, argutus disputator, qui de febribus nonnulla secundum Willisii & Fr. Sylvii dogmata nuper divulgavit, cum tempore plura forsân editurus; denique Tinkius, haut infelix practicus. De quibusvis unicuique docendi & disputandi libertas summa. Hinc in eodem loco quidam modernorum doctrinam & inventa sequuntur atque propugnant, alii priscorum traditionibus capti immorantur ac adherent mordicus, cæteri prudentiores sibi visi, ne quid temere sprevisse aut neglexisse dicantur, utrumque faciunt rectissime, si apud more ex diversis floribus uti nos mellificant. Nostre autem religionis professorem nullum tolerant, studiosos ferunt: nam hac tempestate per universam Galliam muneribus publicis functionibusque suis privantur, quotquot puriori cultui divino & Christo uniduci nomen dederunt. In facienda tamen medicina palmam tribuimus Barbeiraco, Christiano reformato, & excellentissimi Caroli Sponii fautoris nostri amico singulari. Stirpium notitia omnibus etiam antecellit Petrus Maniola, botanici Monspeliensis accuratissimi autor. Anatomiam studiosos privatim docet Gimellus. Ast Vicestantius in demortuorum cadavera cultrum frequentius defigit, magna sedulitate præclaras observa-

L

tio

tiones inde colligens, tam ad faciliorem red-
 dendam praxim medicam, quam ad illustran-
 dam anatomiam. Tantarum rerum copiam
 illi facit nosocomium, laudemque sempiter-
 nam parturit nervorum diligens scrutatio, ceu
 testis aliquando erit ostentum mihi nuper
 commentarium, nervosum hercle & iconi-
 bus superbiens pulcerrimis, ita ut Willisianam
 accuratationem æmuletur & quandoque supe-
 ret. Complures præterea doctos viros cœ-
 lum hoc optimum alit & fovet, quos singulos
 denominare supervacaneum. Profecto ho-
 rum conversationi humanissimæ & naturæ
 admirandis volupe est mihi otium impende-
 re. In lacertis viridibus, quæ in agro hoc tam
 grandes oberrant, ut quandoque sint librales,
 singulares quasdam glandulas nuper obser-
 vavi femora stipare, structuræ artificio & or-
 dinis concinnitudine oppido mirabiles,
 Utrinque duodenæ sunt, continua serie, se-
 cundum cruris longitudinem, & albi marmo-
 ris candore niveo. Latent verò sub cute in
 externa parte femorum, cutemque retro per-
 forant, qua lentor pinguis & viscosus ad igno-
 tos mihi usus hinc foras excernitur. Dixerunt
 tamen quidam curiosi in profuso visco hoc
 formicas, muscas, & id genus alias bestiolas
 inhærescere, ut lacertarum præda sint insidi-
 antium. Notatum vero tibi in porcello Indi-
 co serpentiforme vasculum appendix forsan
 est seminariæ vesiculæ. Est ea sane quadri-
 gemina

gemina

gemina hystricibus, quod tibi jam significasse memini, & simile quid etiam obtinet in gliribus, quorum capsulae feminales arietini cornu instar sunt intortae. Antidori loco mitto tibi gryllotalpae alterum ventriculum, ut elegantem admirandamque structuram ejus mecum aestimes. Vale.

Dab. è Monte Pessulano d. 29. Julii 1679.

EXERCITATIO XXX.

*Lacertarum genitalia. Cicuta
terrestris.*

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

Ventriculi talpini structura mirè me refecit, ut & quæ de glandulosis lacertarum femoribus apposuiſti. Amphibii hujus interiora aliquoties cultro subjeci, uteros penesque binos quibus femellæ ac mares singuli fruuntur speculatus, cum eleganti in *his* testium & epididymorum, in *illis* vero ovarii structurâ; quæ singula nostræ aliquando animadversiones prolixius docebunt. Cicutæ terrestris *ενεργειαν* expertæ sunt vulpeculæ & cuniculi Brasilienses, non tamen eandem cum aquaticâ, uti ex Celeberr. *Wepferi* tractat. eruditiss. cui experimenta ista sub finem adjeci videre poteris: operæ pretium autem erit ulteriori *ἀκριβεία* vires plantæ hujus elicere, &

L 2

veri-

veritatem illius, experimentorum agmine stipatam producere: *Vieussantium* genus nervosum denuò aggredi miror, cùm Willisium adeò diligenti studio ac industriâ singula rimatum fuisse arbitrentur plurimi, ut iis vix quidquam addi ulterius possit. Est autem hæc seculi nostri gloria, rebus omnibus ut major accedat perfectio, & in secessibus intimis hærentia curiosâ mente eruantur, corrigantur atque illustrentur. Testes sunt libri omnifarii, suis Authoribus dignissimi, quos ab aliquo tempore literatus Orbis vidit: in primis circa plantarum & stirpium natales ac usus enucleandos Naturæ curiosorum solertiam jam occupari deprehendo, uti hujus fidem faciunt, quæ de absynthio, cynosbato, cochleariâ, junipero, aliisque eruditissimis volvenda ac ruminanda, maximo nominis sui ornamento tradiderunt. A Venerando *Sponio* nostro, haud ita pridem accepi opusculum à Parisiensi Chirurgo concinnatum, laudatissimo instituto, cui titulus: *les Nouvelles Decouvertes*; huic ecquidem multa insunt scitu utilia, & lectu jucunda, plura tamen majorem enucleationem poscere & ἀφιλοσόφως tractari videntur. Nobis hujuscemodi Virorum optimorum conatus indefessi, stimulum addant, publico quantum nostri ferent humeri, ulterius nostram qualemcunque opellam consecrandi, & labore impigro abdita naturæ fervidè sed judiciosè investigandi. Vale.

Dab. Bas. d. 12. Aug. 1679.

Ex.

EXERCITATIO. XXXI.

*Listerus de cochleis. Wepferi cicuta.**Puer sine pedibus. Priapus prodigiosus.**Caca scribens. Convulsiones admiranda.*

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUSS.P.D.

Post diuturnum silentium & varia itinera multosque casus tandem in patriam & ad exercitationes nostras redeo, quibus nihil mihi est jucundius. De te operibusque tuis recens editis multa mihi prædicarunt Lugduni Sponius honore maximo dignissimus, & Genevæ Bonetus optimus, in transitu. His ergo cura fodes ut & ego brevi potiar, tuarum lucubrationum cupidissimus. Listerus fertur in Anglia de cochleis & araneis pulcherrimum librum edidisse, quem videre nondum mihi contigit. At de cicuta aquatica Wepferi nostri commentarium jam perlego, plus in recessu continentem quam promittit titulus. Optandum sane est ut idem quoque brevi stet promissis de gula, ventriculo, & intestinis: nemo enim observationibus variis & præclaris æque ac ille affluit. Lugdunum inter & Genevam nuper vidi puerum utroque crure naturâ truncum, ut neque stare nec sedere possit uspiam. Dicunt prava matris imaginatione & terrore embryoni in utero

K 3 am-

amputata esse femora, quod fieri potuisse haut inficiabimur. Genevæ autem vir degit tanti mutonis, ut vel Priapum longe superet, & pavori sit mulierum fortissimis. At illud admirationem nostram magis meretur, nec memorari dedecet, ibidem cœcam natam amitinam meam dilectissimam vacare literarum studiis, & ad absentes tanquam lynceis polleret oculis conscribere epistolas, qua de re historiam omnem, ceu dignam oppido memoria, literis tradidi ad Sponium excellentissimum, quæ fient aliquando juris publici, ut legantur etiam ab aliis. Coronidis loco mirum de spasticis convulsionibus exemplum accipe: Coloniae Allobrogum vocatus fui ad uxorem mercatoris Hemmii, prope modum quadragenariam, & nonnullorum liberorum matrem, quæ jam per annum & quod excurrit, à gravi mentis ægritudine utrumque brachium manusque & caput nolens volens diu noctuque hinc inde jactitat, dentibusque subinde stridet fortiter. Compositamen rationis est, eorum quæ secum aguntur gnara omnium, præteritorum quoque memor: sed velit licet à se tantum obtinere nequit, ut commoti artus quiescant, aut efficere ut moveantur pro lubitu. Abest autem dolor hisce motibus: sæpe tussis accedit, ita ut sanguine in præcordiis coacto difficilis quandoque fiat respiratio. Optima remedia hæctenus nihil profuerunt. Utitur quin etiam
à mul-

à multo jam tempore ægrota laudano opiato, ad injiciendum frænum molestis illis motibus & succussionibus: quod equidem initio levamen nonnullum attulisse visum, postea per diuturnam consuetudinem in naturam abiit, adeo ut licet nunc laudani opiati scrupulos duos una vice assumat, tamen nec somnum gratum inde capiat, nec sperata quies enormi commotioni finem amplius imponat. Cæterum si quid ego dijudicare valeo, affectio ista nos convincit penitus, humanum corpus esse instar machinæ vel automati, animam vero & voluntatem aliquid esse à corpore omnino diversum. Cura ut valeas.

Dabam Bernæ mense Decembri 1679.

EXERCITATIO XXXI.

De testiculorum substantiâ vasculosâ. Puellis cæcis & machinalibus corporis nostri motibus.

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

Tuum in patrias oras adventum lætus ex Tuis intellexi: majori autem perfunderer gaudio, si quod vel unicè in votis habeo, in mutuos amplexus heic Tecum ruere possem: dici enim nequit, quàm fervidè Te complectar, quanti que tuos in re Medicâ labores faciam. Amoris synceri testis sit cochlea, quàm hisce sanctè oblatam & consecratam volo, in

L 4

fidem

fidem affectus perennaturi, & gratæ mentis
 Symbolum: addidi illi Prodromum de *Humoribus*, cum *Kunckelii* aliquòd eruditis opu-
 sculis: Tuum erit de illâ præcipuè, æquum
 iudicium ferre, nostrasque *εγχειρήσεις* bonis
 omnibus, ut soles, commendare ulterius. De
Listeri tractatu nihil mihi innotuit hætenus,
 vel famâ vel scripto; Vellem tamen illo po-
 tiri, priusquam telam inchoatam pertexere
 incipiam: habet enim fortè, quæ nostra vel
 illustrent aut confirmant. Nî Celeberr. *Dre-
 lincurtius*, qui binis literis ab aliquo tempore
 me honoravit, hoc in negotio suppetias ferre
 norit, de illo obtinendo tantum non despero.
 Excellentiss. *Sponii* & *Boneti* benevolentiam
 venerabundus amplector. Utinam & alii de
 nostris profectibus tam candidè sentirent! In
 testium substantiam, quam glandulosam as-
 ferui cap. de *semin. Maris* præteritâ septimanâ,
 cùm circa interiora Canis demonstranda
 occupatus essem, studiosè inquisivi, eò quòd
 in Cl. de *Graëf* tractat. legeram, ex innume-
 ris vasculis illos conflatos esse: neque fefellerit
 expectationem eventus: testiculus siquidem
 alter aquæ ferventi injectus, reapse in filamen-
 ta innumera solvebatur: vultque præfat.
Graësius, testiculos glirinos id ipsum ad ocu-
 lum probare: Utrum autem filamentis hisce
 glandulosi quid vel medullaris adhærescat,
 etiamnum ambigo: ulteriori experienciâ in
 veritatem ipsissimam plenius me deventu-
 rum

rum

rum confido: Coecam scribere inter admiranda Naturæ repono, animo interim devoto suspiciens misericordiam Dei Opt. Max. qui oculis corporeis orbam, mente oculatissimâ instruxit. Novi etiam apud nos esse, qui à primâ nativitate luminibus privati quamvis, excellentibus tamen Dei benignitate fruuntur donis, memoriæ maximè, & judicii, sed scribere qui sciant vel linguam latinam calleant insuper, nullos vidi vel audiivi. In orphanotrophio sustentata fuit aliquandiu *Puella*, quæ ex variolis in tenella ætate visu privata, ex lanâ fila subtilissimè ducere, variaque alia eleganter texere novit. Machinam corpus nostrum esse, quæ ex vario spirituum in varias partes insultu, variè motitetur, in confesso esse amplius reor. Exemplum abs Te allegatum confirmat id evidenter, comprobantque omnes, qui vel oculis involuntariè nictare solent, ut motus inordinatos in infantulis passim conspicuos, silentio nunc involvam. In corpus dominium tenere mentem equidem non inficior, maleque ageretur nobiscum, isto si careremus: labefactatum nihilominus hoc ipsum fuit lapsu protoplastarum, de quo omnes & singuli eheu! participavimus: Sed quid ego Minervam, Vale perbelle.

Dab. Bas. d. 15. Decembr. 1679.

L 5

EXER-

EXERCITATIO XXXII.

*Cochleæ domiporta. Testes anne
glandulosi? Glandule intestino-
rum.*

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

QUID in cochlearum scrutinio præstiterit Listerus, me fugit : quippe libro nondum potior, nec decet judicare de invisis aut ignotis. Tu autem in describenda & nobilitanda domiporta vulgari tantùm ædepol egisti, quantum satis est ad patefaciendam orbi industriam tuam singularem, æstimandamque curiositatem laude dignissimam. Speramus tamen te iisdem vestigiis insistentem, & quo cepisti pede ad pernoscenda naturæ opera auspicato properantem, cum de his ipsis rebus tum de aliis plurimis accuratissimos commentarios & plane absolutos editurum, quod faxit Deus optimus & maximus. De cochlearum sexu ipse adhuc anceps hæreo, nec certo scio utrum omnes sint hermaphroditæ, an terrestres duntaxat. In Monte Pessulano Septembri mense præterito observavi singularis speciei cochleas terrestres binas, utrinque exerto corpore illo cylindriaco, in quo ossiculum angulatum ac instar teli mucronatum delitescit, invicem ita coaluisse, ut una eademque cochlea alteram

ram

ram exciperet & vicissim exciperetur ab altera, quasi ea foret articulationis species (licet impune jam his vocibus abuti) quam Græci ginglymum appellavere. Sed corporis cylindriaci superficies his minime lævis & glabra erat. Rigebat enim eminentibus undique apicibus perinde atque viperini penes, & præterea nigricabat. Cochlearum istarum testas tibi mitto geminas, quarum incolæ aut hospites ane adhuc superstites vivant vel mortui sint me fugit. Iis adjungo etiam marinarum cochlearum nonnullas domunculas, à me in littore mediterranei maris olim collectas, ut inde cognoscas cochlearum varietatem omnino esse maximam. Cæterum de testibus nolo te tantopere sollicitum, ut necessitate nulla urgente sententiam ultro retractes. Cùm enim illi humorem genitalem præparent, præparatumque per singulares ductus foras excernant, ecquid amabò eos è glandularum numero jure meritoque excludet? Nil hercle penitus. Nam manifestæ oppido secretioni testes vacant. At verò secretionem omnem glandulistaquam officinæ aut organo aptato deberi indubitate constat, nec hallucinatio est quando scripsisti in prodromo tuo testium substantiam esse glandulosam: ita enim & ipse sentio, & puto sentiendum quoque aliis omnibus æquis rerum æstimatoribus. Culpe-
mus potius haut inglorium licet Regnerum
de

de Graef, negantem testes esse glandulas, fortasse ut inventionem suam magis extolleret; quam tamen uti laude non indignam judicamus, ita simul etiam in pretio esse volumus, siquidem res ferat, Galeni, Fallopii, Veslingii, Whartonii, cæterorumque præcellentium anatomicorum, quos Graefius perperam hic erroris arguit, effata optima. Non enim ideo naturam suam mutant testiculi, & statim glandulosi esse desinunt, quod in filamenta resolvi possint: quin potius evidenter inde patet glandulas revera nihil aliud esse quam membranarum, vasorum, fibrarumque variè complicatarum glomeratarumve compagem, artificiosè configuratam & poris ac meatibus præditam, ut ibi aliquid secernatur. Jam ex Graefii confessione testiculi sunt congeries minimorum vasculorum semen conficientium. Ergo nostro ratiocinio testes, licet è membranis & vasis mire coagmentati sint, glandularum naturam omnino retinent. Quamobrem cave palinodiam canas, tantisper dum cognoveris meliora. Sed de glandulis intestinorum quæ prodromus tuus Cap. II. promittit velim tecum omnia communices, quippe hujus argumenti exercitationem alteram inter alia parerga aliquando sum editurus. Vale.

Dab. Bernæ d. 23. Decembr. 1679.

Ex-

EXERCITATIO XXXII.

De testiculis & glandulis in corpore nostro.

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUSS.P.D.

Benevolentioris affectus indicium interpretor, nostris de conatibus, quòd tam honorificè sentis: *In cochleâ terrestri domiportâ* tantum laboris ac diligentis investigationis impendi, quantum per negotia alia, manumque minus exercitatam licuit, hanc ipsam nihilominus opellam qualemcunque meliori loco habitam esse, hætenus audiui, unde dicam a pertè, novis aculeis ad plura tentandum me incitari. Testium substantiam vasculosam vidit etiam Excell. *Wepferus*: propterea è glandularum numero illos non arcet, quin videntur ob propagatam filamentorum tortuositatem conglomeratis accensendi, aut absurdi ne quiderit, si cuilibet furculo glandulam minutam sufficiamus, furculosque hos in ramos & ramos in ductus seu caudices inferi scribamus. Ego sanè plura in corpore nostro esse deprehendo, glandulosam quæ sapiunt naturam, quàm verò sibi nemo facilè persuaserit, optandumque foret summopere, ut glandularum varianti structuræ exactius rimandæ tandem aliquis se accingeret, utpote quâ ignotâ de plurimorum humo-

humo-

humorum natalibus minus distinctè sententiam ferri posse, animadverto: quod evincit abundè lymphæ, succi pancreatici, aliorumque liquorum generatio, necdum satis expedita per Medicorum filios. De *glandulis intestinalibus* tu satis appositè, nec video multum iis superaddi posse, animus tamen est earummet occasione, quædam de pituitâ intestinorum, quam ex illis exudare arbitror digesta tradere propediem, adjuncturus etiam, quæ in variorum subjectorum intestinis, ipsarum ratione notavi, quò tandem contradicentium ora obturentur, suusque veritati maneat honos illibatus: Certè si adversarii historiam quam cap. *de semine maris* inserui anatomicam attentius ruminare voluerint, de existentiâ usuque *εντερογαστρικών* amplius dubitare non poterunt, nî sensibus fidem omnem pertinaciter detractum eant, sanæque rationi suum iudicium non permittant, cui malo nec *ἰηλαῶν ἀεὶς* mederi poteris erit: Tu contra audentior ito, & qui ratione ac experienciâ duce multa hucusque enucleâsti feliciter, iisdem ulterius insistito: Sic crescet Nominis tui fama, Arti que nostræ incrementum accedet haud exiguum, Vale.

Dab. Bas. d. 22. Jan. 1680.

EXER-

EXERCITATIO XXXIII.

Glandulæ intestinorum. Glandularum præstantia. Adenographia desiderata, & ad eam perficiendam hortatio.

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

DE glandulis intestinorum quidquid mihi trades boni restituam tibi cum gratiarum actione maxima, in altera exercitatione, quam de iis sic adornare animus est, ut priori seruiat & accedat pro auctario, quod etiam cum ægagropilis suis quondam fecit, vastæ eruditionis & summi vir ingenii Georgius Hieronymus Velschius. Utinam verò tu melius exponas situm numerum & figuram illarum glandularum, quæ teste prodromo tuo Cap. VII. pag. 105. in emortui pueri tabidi intestinis majusculæ, duræ, ac nigre apparuerunt. Existimabo sanè eas degenerasse, cum alias sint molles & albidæ aut rubicundæ. An verò degeneraverint in omnibus intestinis aut aliquibus duntaxat, item utrum solitariae tantum an simul etiam gregales, fac me quæso certiolem: nosse enim ista omnia & singula expedit. Dicam verò hac occasione quod de glandulis in uniuersum sentio; earum structuram esse consideratione dignissimam, quippe majoris artificii

tificii atque momenti quàm vulgò reputant, indicia prodentem in vestigantibus. In pretio ergo sint & tibi glandulæ, quarum in corpore nostro tanta constat frequentia & jucunda varietas, divinæ testis sapientiæ; ut nihil nunc dicam de multiplici earum usu functionibusque nobilissimis, Neque enim te latebit spero, vel si lateret adhuc id jam scias velim, corporis humani fluidam substantiam omnem, qua illud conservatur, & nutritur atque multiplicatur, ortum suum perfectionemque debere & acceptam merito referre glandulis. Quæ cum ita sint, quis vitio nobis jure vertet si optemus adenographiam numeris suis absolutam, & quod fieri sanè potest Whartonia accuriorem confici. Multum quidem egit Whartonii diligentia, cujus bene partæ laudi meritisque nihil detractum volumus, sed non peregit, tantumque restat operæ ut vel optimus anatomicorum si rem desideratam mascule aggredere- tur, continuo sit reperturus in quo perficiendo diu multumque laboret. Nec inanis foret occupatio, sed gloriosa plane & cum ingenti utilitate conjuncta. Nam hac ratione tandem aliquando perveniremus ad abstrusorum notitiam, multorumque morborum natura & causæ antea reconditæ paterent auspiciatissime: imo de humoribus atque spiritibus tunc clarè & distinctè ratiocinari liceret, quod sine exacta glandularum cognitione fieri vix posse

posse

posse putamus. Tu vires experire tuas aciem-
que subinde ad glandulas dirige. Dicit enim
nequit quantum possit diligens & crebra scruta-
tatio. Demum ut valeas & exercitia nostra
perennent cura.

Dabam Bernæ d. 14. Febr. 1680.

EXERCITATIO XXXIII.

*De glandulis & pituitâ inte-
stinorum.*

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUS. S.P.D.

DE glandulis intestinorum pauca quædam
depromere animus est, *Pejere* optime,
quò iis ad sententiæ Tuæ & veritatis stabili-
mentum uti, sicque eruditissimo quod medi-
tari auctario, adversariorum conatus fortiter
eludere queas: Mirari sanè subit, in re tam
apertâ, Tibique in *Enteradenographia* ad o-
culum demonstratâ, animalium plurium,
imò humanorum cadaverum lustratione,
quam audacter læpius, & sine ullâ puerili tre-
pidatione suscepisti, mirari subit inquam, es-
se ex Artis nostræ Cultoribus, qui luculentis-
simo huic invento tenebras suffundere ausint,
illud *vel pertinaciter rejiciendo*, quod novum
sit inventum, cui parùm tuta fides, vel rece-
ptio, utpote quo multa aliter ac olim expli-
canda veniant; quasi eadem vigeret ætas sem-
per, nostraque ars perfectionis fastigium o-
mne pridem attigerit. Absit segnitiei divinam
hancce *Hippocratis Anisphulu* ego ut accusem,

M

in

in ruborem magis dentur, quotquot unice sapere contendunt, plurimaque vel efficta, vel minus accuratè indagata, atque à veritate plurimum recedentia, pro veris, certis ac infallibilibus eruditis obtrudere non erubescunt: *vel ejus usum invertendo*, dum ex *glandulis vesicas colatorias*, nescio quo fundamento persuasi, facere fatagunt. Ast! est hæc seculi hujus felicitati juncta infelicitas, ut dum scientiarum arcana ex profundioribus, quibus immerfa jacent, tenebris eruuntur, exurgant sæpenumerò adversarii, qui ipsi etiam autopsiæ contradicere non metuunt, maximæ ducentes gloriæ, aliorum dogmata aggredi potuisse. Faciliorem fidem unicuique invento adhibere statim, absit ut jubeam, quin imò satius est quandoque Antagonistas habere, quò veritas pluribus hinc experimentis nitidior reddita tripudiet: At hæc non uni sed pluribus compertâ & demonstratâ, si quis solo invidiæ vel contradictionis œstro percitus annuere nolit, bene ne magis an malè agat, equidem ambigo. De *glandulis intestinalibus* harumque usu, Tu primus, quantum novisse vel vidisse possum, plenius & distinctius egisti, neque intra privatos parietes modo, sed præsentibus plurimis Viris Clariss. illas non sine stupore contemplatus ac scrutatus fuisti, quò sic invento major accederet fides & autoritas. Viderunt eadem Celeberr. *Wepferus* & Excell. *Christoph. Harderus*,

derus,

derus, Poliatri Urbis vestrae Gravissimi, Patroni & Fautores mei plurimum honorandi. Earundem rursus in suo de *Cicut. aquat.* tractatu longè eruditissimo & utilissimo, mentionem *ille* injicit, neque vel oscula vasorum, vel vasa colatoria appellat: *Ego*, si quid propalare auisim, veritatis investigandæ desiderio cum arderem, vel Tuo instinctu in animalibus pluribus in illas inquisivi, non solus sed Virorum Præstantiss. præsentia stipatus. In vulpe, quam anno præterito secui, sub finem intestini duodeni inveni plexus glandulosos duos, quorum alter continebat glandulas triginta, in quas inferebantur vascula sanguinea plurima: ex iis compressis viscidus & albidus humor prodit. In intestino jejuno paulò post initium reperi plexum longè majorem, & numerosioribus glandulis stipatum, cui aliquanto inferius minor alius substernebatur. Infra hunc conspiciebatur iterum alius oblongus, hinc rursus unus & alter: In ileo itidem plures majores & oblongi habitabant, in primis sub finem hujus, ubi longissimus & latissimus agmen clausit. Summa tam innumerae in his plexibus spectandæ veniebant glandulae, ut meritò dubitem, num tantus vasorum, pro quorum osculis nonnulli eas falsò venditant, queat esse numerus. In intestino cæco, colo & recto glandulas solitarias itidem conspexi. Deinde in cuniculorum Brasiliensium intestinis, mirè convolutis, plexus glandulosos eos-

dem, sed ovo figurâ magis similes notavi. Id autem hic te monuisse non abs re erit, quòd in cœcò intestino hujus animalis etiam plexus glandulosos areatim dispositos observârim. In canibus animadvertos eosdem plexus enumerare quoque possem, nisi nauseam tibi movere metuerem. Sed quod prætereundum minimè, nec foetus vitulini, quorum aliquot eodem & sequenti anno dissecui, glandulosos intestinorum plexibus destituuntur, quin illos magnos, longos, copiososque obtinent. Omnium autem elegantissimè plexus hi se nobis ostenderunt in Anatome Puelli rustici cujus histor. Prodr. Physiol. cap. VII. proposuimus: hic enim per totum intestinorum, quâ tenuium, quâ crassorum tractum, areatim & sigillatim illi dispositi micabant: in his quidem magis, in illis minus conspicuæ erant glandulæ, præterea nigricantes & duriusculæ, cujus rei *αὐτόπιας* cito JOH. FAC. HARDERUM vestratem, & Speckerum nostrum, qui meam in dissecando operam tunc adjuverunt: postea mens. Decembr. plexum glandulosum ex intestino tenui exemptum, microscopio examinavi, & comparuerunt corpuscula minima, solida, ovalia, innumera, quæ inter lineæ intercedebant. Quid adhæc adversæ sententiæ Patroni? num taliter oscula lactea indurari, grandescere, imò nigricare potuerunt, uti in *puelli tabidi* Anatome animadvertimus? num ea ipsorum est *soliditas*

liditas & protuberantia, qualem nudis & armatis oculis deprehendimus? Sanè ut non dicam, *vasa lactea* in has inferi, nemini vel compertum, vel demonstratum esse, ut taceam chylum ex his nunquam exprimi, neque attingam, nisi chylo turgeant, disparere ilicò, imò ut silentio præteream, glandulas hæc non eadem copiâ in singulis animalibus, neque in omnibus intestinis eodem numero reperiri, quin in *ileo* & circa hujus finem copiosissimæ micent, cum tamen potiorem sedem in *jejuno*, hujus sententiæ vi obtinere deberent, id solum dicere mihi liceat, opinionis hujus Tutores felices esse admodum, quòd oscula vasorum lacteorum tam facile detexerint & agnoverint, cum Excell. *Louverus* aliique qui de *lacteorum* in intestina infertione & hiatu solliciti scripserunt, illa per exiguis orificiis omnino prædita esse notârint, (ut puriorem tantum massæ fermentatæ partem sumerent) neque protuberantium horum corpusculorum ullatenus meminerint: præviderunt nempe, si quid istiusmodi incautius assererent sitûs diversitate se confundi posse facile, alio siquidem loco lactea inferuntur, quàm *glandula* hæc sitæ sunt: Evidens foret itidem sic chyli percolatio, *osculorum horum glandulosorum* ope, quæ tamen multorum torsit ingenia, *figurasq; & poros proportionatos* præfat. *Louvero* statuendi ansam præbuit: Clariss. *Sylvius* per pannosam

intestinorum crustam, quæ figuram proportionatam non tollit, hanc fieri equidem arbitratus est. At multò commodiùs sententia *ista*, chylum ad oscula glandulosa pulsum colari docet, licèt innumera vasculorum chyloferorum, in animalibus omnibus sit series, cui glandulæ nostræ, si non sæpiùs, saltem non ubique respondent, quin vasa lactea in duodenum & jejunum copiosè abeuntia, ad usque ilei extrema, ubi plexus maximi & uberriores, cum suis osculis ablegare necesse erit: Insigne certè, quod emetiendum habent iter: Et quæso, si colationi istiusmodi glandulæ nostræ destinatæ, quam alii prætendunt, quæ fit, quòd chylo destituantur? vel quâ viâ, nisi lactea in illas perrexerint, illum in ductus consuetos transmittent? quare item glandulæ ventriculi, hisce similes, non eidem muneri obeundo destinatæ, vel oscula vasorum dicuntur? Nempe multa heic difficultas, & nodus solutu difficilimus, cum *αὐτοψία* & ratio contrarientur. Verùm non *existentiam* modo sed & *usum* harum *glandularum* scrutatus sum, atque hunc in *Prodrom.* promisi: Nôsti mecum *Humorem*, qui ad individui conservationem facit, & in primâ corporis regione suam originem sumit, *pituitam* communiter appellari, an adeò bene deinceps patebit; *Pituitam* hanc intestinorum tunicam interiorem oblinere, nobiscum etiam alii fatentur. De *generationis* autem modo, *vis*
item

item per quas proximè & immediatè *pituita* ista ad intestina deferatur pauci tractant, id-que satis obfcurè: Meminerunt equidem *Galenus* & *Hippocr.* hinc inde *pituitæ* & hujus differentiarum, dum insipidam, acidam, salfam &c. eandem nominant, si peccârit: de *pituitâ* autem *intestinorum* altum videtur esse apud ipsos silentium: *Gal.* l. 2, de temper. *Pituitam ex cibis, neutiquam ex corpore nostro oriri contendit.* Et l. de plenitud. *Pituitam*, quam acescentem fortè intelligit, *in ore ventriculi collectam, appetitum ciere author est:* An priori in loco alluserit ad *pituitam* intestinorum, quam ex chyli partibus frigidis & crudis ortum capeffere, aliqui contendunt? ignoro: Statuit isthoc *Fernelius* l. 17. de *function. & humor.* c. VI. ubi *mucum ventriculi pituitam esse* negat, & inter alia ita fatur: *Pituita in jecore gignitur, & in utilium succorum numero censetur, hæc potest concoctione in sanguinem converti: Mucus autem narium & ventriculi cerebri excrementum est, calorisq; vi siccescit & in tophos cogitur: Illius speciem præ se fert ea, quæ in ventriculo & intestinis gigni, procreariq; solet; pituita enim non est, sed ne succus quidem omnino: concoctionis autem primæ cruditas est, quæ evinci non potuit, vel ex cibi crassâ & tenaci naturâ, vel ex ventriculi intestinorumq; imbecillitate concrefcens.* Satius arbitratur his in verbis, cruditatem aliquam, quàm *pituitam*, *mucum* intestinorum vocare:

ast! vereor ut adeo bene, cùm sententia integra, parùm omnino veritati congrua videatur? *Mucum Ventriculi* à cerebro derivat, cùm tamen hic per vasa convenientia, in glandulas stomachicas abeuntia, magnâ ex parte fomentum sui accipiat: *Oesophagum* innuit insuper, per quem materia depluens in ventriculum devehatur: at licet hujusmodi destillationibus quidam sint obnoxii, omnes tamen earum mancipia non sunt: Sunt enim, qui parum catarrhosi, *mucos* ventriculi & intestinorum copioso & tenaci gaudent, utque ulterius nihil dicam, sistam ipsi foetum in utero existentem sanum & vegetum, in cujus ventriculum, quid hujuscemodi defluere potis est? Sistam ipsi ruminantium foetuum ventriculum quartum, qui hoc mucos oblinitur, cæteris ab eodem vacuis: num *destillatio* ista minùs injuriæ in tres hujus socios exercuisse dici potest? Assertio sanè, quæ plurimorum in auribus fabulosè resonabit: Neque *excrementum crudum* est intestinorum *pituita*, ob concoctionem præpeditam ita genitum; quamvis enim non inficier cibos *duarè* *malè* succum nutritium pervertere vel incommodare, capere tamen nondum possum, qui *pituita intestinalis* concoctionem vitiata maculet: *Chylo* producendo ventriculus intentus est, non autem crudæ istiusmodi *pituita*, utpote ex actione adversâ resultanti: minùs quoque se extricaret *Fernel*, si ipsi robustiores, qui-

qui-

quique, nonnisi boni succi cibis fruuntur, contra irent, quid enim in hisce, *Ventriculi* debilitatem, an ciborum *tenacitatem*, unicas *pituita* causas: accusabit? Ast & hoc, quod multi evincere fatagunt, mihi minus verisimile fit, aliunde ad partes hasce *mucum* dictum transmitti; etenim nec *saliva* sua debet natalitia, licet in ventriculum, cum fermenti supplementum sit, *hanc* regurgitare statuat, quoniam alii functioni planè, quàm autem *liquor salivialis* destinatur, qui *chylificationi* inchoandæ potissimum inservit: nec per *vasa lymphica* ad intestina affertur, cum hæc peculiare habeant receptaculum, in infimo ventre, in quod *Lympham* suam deponunt, taceo istam lymphicorum in intestina insertionem nemini adhuc probè conspectam esse: A' nervis eundem mucum subviscidum deducere, quantum foret *ἀποπν*, utpote qui pertinacissimas in ipsis produceret obstructions. Dico hinc, ex arteriis in glandulas intestinales abeuntibus, *pituitam* hanc vulgò dictam scaturire, cum ejusmodi mucaginem pressæ illæ fundant, istaque segregationè commodissimè defungi queant. Quod ipsum attigit Excellentiss. *Glisson*. tractat. de *Ventr. & intest.* c. 23. in eo tantum dissentiens, quòd organum hujus secretionis, interiorum ventriculi & intestinorum tunicam, seu potius horum parenchyma esse asserit, juxtaque addit: *Verum per quas vias precisè pituita excernitur, & per*

quas chylus excipitur, internoscere acumen nostri sensus superat: Inventis jam glandulis intestinalibus, iisque in omnibus intestinis micantibus, difficultas tanta amplius non superest; quin face hâc prælucente, via patet omnibus ac singulis, qui sepositis præjudiciis veritatem sectari avide cupiunt: Sunt ergo *glandula pituita* ceu feri subviscidi secretorium, quæ præterquam quòd munimenti loco intestinorum parietibus adhærescit, impetum quoque spiritus nitroaërei, cum quo turgescit, blandè cohibet. Vale.

Dab. Bas. mens. Febr. 1680.

EXERCITATIO XXXIV.

Glandula intestinorum vindicata.

*Pituita intestinorum. Fernelius
de ea excusatus.*

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

Observationes tuas de glandulis intestinorum accepi, pro quibus gratias tibi ago maximas, æque ac pro insingi affectu, quo conaris exercitationem meam ad adversariorum criminationibus liberare ac defendere. Satius omnino erit hos ipsa rerum evidentia & experimentis potius redargui, quam nuda & mordaci oratione. Mussitent alii, quantum volent, ogganniant, provocent, convitentur licet, metamen animo firmatum, &

VIP.

virtute fretum., nunquam eo adigent infania,
ut pretiosum tempus malè collocem super-
vacaneis, neu accensus ira & exæstuans con-
vivia regeram convitiatoribus. Muralti tamen
objectiones, quas tu cognovisti, cum non
plane fuerint de nihilo, & experimentis sti-
patae variis accesserint, dignas semper existi-
mavi quibus amice respondeam, quod par-
tim jam feci partim deinceps me facturum
volente Deo polliceor. Ast Andreas Ernius
thes. inaug. medic. XXVI. quam inter a-
lias ventilandam nuper proposuit, præter
opinionem tuam me non lædit: ibi enim
nulla mei fit mentio, deinde & nos credi-
mus chylum per poros intestinorum in ve-
nas lacteas transmitti. Hallucinatur tamen
Ernius, si per glandulas intestinorum eas i-
psas intelligit, quas nos descripsimus; nostræ
enim chylum nec colant nec in lactea vasa
trajiciunt, sed intestinis utilem humorem
sumministrant, quem alii pituitam dixere,
tibi notissimam. Hujus originem & usum
in exercitatione de glandulis intestinorum
fatis superque patefecisse atque illustrasse
mihi videor, ut ambagibus pluribus non sit
opus ad id persuadendum aliis quod expe-
rientia coram testatur. Sapuit equidem Fer-
nelius, sed pro seculi more & ingenii mo-
dulo: tantum autem ad artis splendorem e-
ruditionis ac industriæ contulit, ut vitio ipsi
vertendum non sit sicubi rem acu haut o-
mnino

innino tetigit. Nam tangere voluisse putandus est, etiam cum scopo aberravit. Quamobrem de pituita intestinorum haut dubie aliter pronunciaffet optimus ille & accuratissimus scriptor, si perinde atque nos perspectas cognitasque habuisset intestinorum glandulas. Hac demum ratione spero ægre non feres tuum demitigari iudicium, quod sentio quàm sit ingenuum. Bartholinus hercle & ipse Anat. reform. lib. I. cap. X. crustam intestinorum majori errore ab excrementis tertiæ coctionis deduxit, quem tamen benigne interpretari ac condonare malumus quàm pluribus perstringere. At in ventriculo quarto vitulorum oviumque utero adhuc hærentium vel recens editorum stagnare tibi visus mucus, ortum me iudice debet nutritio humori amnii, quem deglutitum mora & loci calor paulatim inspissat, ut tandem viscosus & tenax fiat instar albuminis ovorum; ne utiquam ventriculi, quod opinaris, glandulis. Hæ enim solæ tantam mucii vim fundere propter immensam subtilitatem suam nequirent, etiamsi eas tunc non plane otiosas esse reputem. Vale.

Dab. Bernæ Id. Februarii 1680.

EXER-

EXERCITATIO XXXIV.

*Humani genii imbecillitas. Pan-
creas ulni formæ. Testiculi vasculosi. Puella
Rene dextro carens.*

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUSS, P.D.

MEa de Glandulis intestinorum tuæ com-
mitto prudentiæ & judicio, quod scio
quàm sit æquanime: Imitari ædepol in pu-
blicum proditurum oportet equos generosos,
qui quemcunque canem allatrantem ilicò
non curant: Satius quidem foret, ita scribere,
ut contradicentem habeamus neminem, ve-
rùm cùm is hominum ferè genius sit,
ut de omnibus pariter non sentiant, tale bo-
num quis sperârit: Veteribus ego multum
defero, ipsorumque labores venerabundus
extollo: deferrem autem adhuc plus, si re-
centiorum conatus simili favore laudarent:
Fernelium si ob erroneam sententiam culpavi
indecenter, magnopere doleo, viri hujus
in arte Apollineâ ἀριστερῶν cùm demirer sæ-
pius: Est tamen scapha, scapha appellanda
quandoque, neque veritas rerum excogitatis
nominibus obscuranda vel dissimulanda.
Scio esse aliquot quibus nostra sordent me-
letemata operaque qualiscunque offendiculo
est: neque etiam enteroadenographia assensum
impetravit omnium, quod nova est, corpuscu-
laque

laque illa glandulosa paucis adhuc visa: Equidem haud ita pridem exterus ille *Ernius* nomine, vasa chyli colatoria eas fecit publice, quo autem cum fundamento, comprehendere ego non valui: pariter vasculorum lacteorum oscula, aliorum etiamnum in mente audiunt pertinaciter, licet experientia illud evincere nusquam possint: Quid mirum hinc inconcinnis istiusmodi, veritati que è diametro obstantibus si vir bonus contranitatur, hancque quanto potest opere salvam fieri velit: Ast de his satis: in ultimâ canis Anatome, pancreas prope ulni forme deprehendi, cum insigni vasorum arteriosorum, per universam substantiam dispersorum serie, ductu item *Virfangiano*, lateralibusque eximiis: Testiculos ejusdem reiterato examini subjeci, tunicâque intime illos succingente ablatâ, aceto prius maceravi, à quo corrugabantur, post fervidæ injeci, unde in vascula minutissima, tortuosè inflexa solvebantur, uti nuper: pridem quoque puellam secui ex scabie intempestivè curatâ convulsionibus mortuam, quæ rene caruit dextro cum succenturiante, donata hujus in locum vesiculis pluribus majusculis & minusculis, se mutuò contingentibus & aquâ limpidâ repletis: Ren contra sinister major erat solito, & glandula atrabilaria insignis, cavitate convenienti instructa. Quo errore isthoc ferri urinosi secretorio misella privata fuerit

pru-

prudenti sagacitate inquisivisse non poenitebit, nihil quoniam est, quod animum discendi avidum reficiat magis, quam naturæ absconditorum inventio, & sapiens de iis ratiocinium. Vale.

Dab. Bas. d. 15. Febr. 1680.

EXERCITATIO XXXV.

Consolatio. Puella altero rene carens.

Ad pellendam scabiem Mercurio unctorum fatum.

JOH. JACOB O HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

Infontem ab aliquibus te subinde irritari doleo: nam dum tu læderis non compati ego non possum, Lætor tamen te innocentem premi; virtutis enim hoc signum est, quam semper facis maximi. Patiamur itaque sodes nos affligi tantisper dum virtus eniteat, nec vindictã meditemur in eos qui injuria afficere nequeunt, quos plane oppressos cuperent, quin vitia sua & pathemata prodant intempestivè. Offensam verò condonare quam exprobrare fatius & mage Christianum est. Pacem ergo uti bello anteferimus, ita præponamus tranquillitatem animi commotionibus. Firmior sit freta Deo integritatis conscientia & felicitatis nostræ possessio, quam ut pro malevolorum libidine torqueri aut agitari se patiatur, & nos librosque nostros

stros optime componamus, ne adversarii
 ansam contradicendi habeant, nisi fuerint
 bipedum nequissimi. Displiceant ergo licet
 scripta mea imperitis ac invidiosis plurimis,
 nec angor inde neque crucior. Displicent
 hercle & mihi multorum actiones atque com-
 mentaria. Imo palati mei ea est natura, ut
 cupita prius & admitta quandoque iterum
 fastidiat ac penitus rejiciat. Placuit autem
 apprime narratio tua, de fato puellæ alteru-
 tro renum carentis. Puto tamen eam in se-
 cunda valetudine olim gavisam fuisse utro-
 que integro. Igitur ren dexter postea errore
 quodam vel morbo periisse creditur, sive
 vermes eum consumserint, sive abscessus,
 sive acre serum, quod scabiem quoque &
 convulsiones misellæ intulit. Vesiculæ au-
 tem illæ superstites arbitrato meo fuerunt
 absumpti renis exuvia quasi aut reliquiæ. Nam
 renum substantiam usque ad membranas ex-
 timas annihilari posse experientiæ credimus.
 Præterea ureter perduto rene facile quoque
 amitti aut aliter degenerare potuit, eo modo
 quo etiam arteriæ & venæ umbilici pereunte
 officio transmutantur vel penitus evanescent.
 Denique sinistri renis in eadem puella ma-
 gnitudo his præcipue causis adscribenda esse
 mihi videtur: primo, unius corruptio est al-
 terius generatio; deinde cum deficiente rene
 dextro sanguinis & feri copia omnis in fini-
 strum redundaret, fieri haut potuit quin in

tenera

tenera hac ætate fibræ ejus & pori omnes æque ac vasa reliqua admodum dilatarentur, ut duplicis renis vices impleret unicus. Haut ita pridem in noscomio Bernatum, quod insulam vocant, occubuerunt viri duo, ad scabiem simplicem & ulcera crurum sananda Mercurio inuncti, quorum alter à Sigismundo Kœnig dissectus cor habuit coagulato cruore turgidissimum. Ajunt ægros oborto jam salivæ profluvio pomorum crudorum acidorum esu & intempestivo frigore mortem sibi accelerasse: Tu cura ut diu optimeque valeas.

Dabam Bernæ III. Nonar. Martii 1680.

EXERCITATIO XXXV.

*Mercurii intempestivè usurpati
noxii effectus. Renis dextri defectus.*

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

NOmen meum curæ Tibi, cordique esse gaudeo vehementer, atque hanc Amici certi genuinam notam exosculor magnopere. Aliorum scripta quàm reverenter habuerim hæctenus, judicium sit penes omnes, qui genium nostrum noverunt penitus: Coecutiunt quidem in propriis, Viri etiam doctissimi, priorumque laborum delitiis inescantur adeò plures, ut diversum quid, ubi errasse

N

fortè

fortè deprehenduntur , sibi persuadere vix patiantur. Ego inferioris iudicii ac subsellii, meliora edoceri indies aviditate multâ expecto, cùm δαλέρα φρονίσιδες πάντοτε σοφώερα. Investigando sanè tempus ludimus utiliter, licet origo rerum facilis inventu non sit. Ceterùm benignum agis adversantium interpretem, quod laudo summopere; quid enim opus mutos refellere, vel in eos insurgere gravius, qui experienciâ renitente palmam porrigere necesse habent. Utinam doctrinam suam scripto prodant quicumque, & tanta non foret in rebus plurimis obscuritas. Mercurii vim clandestinam non sine damno experti sunt multi: Cl. *Schmidt*, Practicus Argentiniensis sublimato in venam jugularem canis infuso, subitam sanguinis coagulationem cum mortis periculo supervenisse annotavit. Ipsemet quam horrenda symptomata vulpeculis aliisque animantibus, propinatus in bolo vel jusculo excitârit, sæpius animadverti: docet id ipsum clarius Celeberr. *Wepferus* in *Cicutâ* suâ, p. 296. cui vicissim historiam puellæ scabiosæ, intempestivâ arsenici inunctione, præcedentibus sævissimis symptomatibus, inferuit: nec omnem omnino astutiam *dulcificatus* exiit, nobile quamvis, si loco convenienti & tempore opportuno exhibeatur remedium: Salivatio, dentium vacillatio, cephalalgia, artuum lassitudo & tremor quandoque, callidam ejus naturam aliquo-

quo-

quoties mihi aperuerunt, alia ut sicco pede nunc præteream: Sufficit Coum nostrum, in aureo aphorismorum libello, Medicis *ἡμετέροις* πρῆξεν ἅπαντα præcepisse. De renis dextri defectu quæ subjungis, facilem apud me reperirent illa applausum, si ulla erosionis vel abscessûs aut alterius cujusciam morbi adfuissent indicia: Vesicæ contra ab invicem disjunctæ, nulloque consortio mutuo gaudentes, intus rugosæ & plicatæ, malum à primâ conformatione ut deducamus, magis jubere videntur: aqua etiam limpida, nec foetens nec odoris urinosi, huic ipsi firmitermentum quale cunque subministrat: foetorem ecquidè ob aëris defectum abfuisse, præclarè *Wepferus* conjectatur: odorem tamen urinosum, si aliquando feri hujuscemodi secretioni *Ren* integer vacâisset, spirâisset haud dubiè vesicularum liquor: Tuum autem judicium lubens de istis ulterius audiam.

Dab. Bas. d. 10. Martii 1680.

EXERCITATIO. XXXVI.

Puella rene carens. Renum structura & usus.

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

Monstris annumeranda foret puella vestras, quam dissecuiſti, si rene dextro inde à nativitate caruit. Nec reluctabor tibi

N 2

aut-

autoptæ, etiamsi ex allatis signis sententiam
 tuam nullum plane confirmet, quin adhuc
 possit in dubium revocari. Emulgentium
 vasorum absentia nos certiores redderet, sed
 de ea literæ tuæ silent. Quodsi enim in aorta
 & vena cava arteriæ ac venæ emulgentis ve-
 stigium adfuit, uti sane adfuisse judico, ra-
 tum manebit etiam aliquando præsto fuisse
 renem. Cæterum vesiculæ illæ seu hydatides
 sententiam meam plane confirmare viden-
 tur, hæsisse aliquando isthic renem integrum.
 Malpighium ad manus nunc non habeo, ne-
 que Bellinum, ut nequeam eorum tibi expo-
 nere de renibus judicia. Quantum tamen
 memoria ruminanti jamjam mihi suggerit,
 hic renum substantiam cannæ Indicæ simi-
 lem dixit, quippe ex innumeris fibris compo-
 sitam, inter quas spatia quædam inania sive
 pori ac meatus interjaceant, quibus serum à
 sanguine disjunctum derivetur ad ureteres, ut
 in lotium abeat: Ille autem præter has fibras
 (quas vasa urinaria, seu canales excernentes,
 aut aquæ ductus, cognominat) tradit renibus
 inesse glandulas, potissimum in circumfe-
 rentia seu exteriori superficie sitas, atque à
 papillis & carunculis interioribus plane diffe-
 rentes; existimatque sanguinem ex arteriis
 emulgentibus renes intrantem, harum glan-
 dularum ministerio, in extima parte ab inuti-
 li sero purgari, quod postea è glandulis per
 continuatas fibras, radiorum instar in cir-
 culo

culo

culo à circumferentia ad centrum tendentes, deducetur in papillas, & exinde per pelvim in ureteres. Atque adeo Malpighius duplicis generis substantiam renibus adscribit, glandulosam & fibrosam; fibrarum nomine intelligens (uti dixi) urinæ vasa, è glandulis pene infinitis undique producta, & circa pelvim intro coeuntia in papillas, excernendo lotio destinatas. Equidem utrumque congrua prodidisse reputo, & neutri vitio quid verti convenit. Profecto renum substantiam glandulosam esse docet manifesta urinæ secretio, ita ut amplius dubitandum non sit, etiam si forte glandulæ ipsæ præ immensa subtilitate visum effugiant. Nam ubi secretio ibi glandula. Vasa autem urinaria seu ductus aquæ, quos vidisse memoras in hircino rene macerato, facilius conspiciuntur, præcipue in canibus & felibus. Existimo tamen glandulas illas, è quibus exterior renum substantia conflata est, aliud nihil præ se ferre quam vasa variè gyrata & intorta, quæ post varios flexus & ambages tandem in papillas coeunt, perinde atque vasa testium mire inflexa & convoluta abeunt in epididymides, & hæ rursus in vasa deferentia. Secretio feri demum in iis fit potissimum ratione configurationis pororum. Videntur tamen etiam spiritus animales eo aliquid contribuere. Saltem his debetur motus, quo serum per angustos renum tubulos impellitur, ut & quandoque cal-

culus, arenula, vel id genus hærens ac obnitens aliud corpusculum. Neque enim moventes fibras renibus plane denegandas esse censeo, cum renes quosdam suapte sese corrugasse ipse aliquando viderim. Vale.

Dab. Bernæ d. 13. Aprilis 1680,

EXERCITATIO XXXVI.

Renum structura. Puella Rene carens. Vasa emulgentia duplicata.

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JACOBUS HARDER USS.P.D.

Renes phaseoli figuram perbellè imitari. Veteres olim horum structuram rimantes, statuerunt, hosque ipsos propterea *δολιχοειδεις*, commodo fortassis epitheto salutârunt, certi juxta, vasis egregiis, quæ emulgentia appellitant omnes, ipsorum substantiam undique ornari ac ambiri, ut feri fieret secretio legitima, massæ sanguineæ idoneum quod hætenus præstitit vehiculum: *Bellinus* tamen diligenti Examine ductus fibrosos, seu aquæ ductus in Renibus, per quos totum à sanguine sequestretur, inque pelvim depositum, per ureteres ad vesicam amandetur, evidentius detexit, operique toti magnam facem prætulit, quam lucentiorem reddidit sagacissimus Naturæ Ruspator *Malpighius*, suo glandularum Renalium invento, corti-

corticem præcipuè ambientium , quas vasa subingrediuntur , à sero inutili liberanda. Mihi *ductus fibrosi* innupero Rene hircino eleganter fuerint visi , quos unusquisque in Rene semicocto facilè notare poterit: *Glandula* tamen anxium me detinuerunt tantisper , donec vel Tuo instinctu, idoneum liquorem in *Renem Puellæ Phtisicæ*, (quam haud ita pridem dissecui) aquâ calente prius dealbatum per arteriam *emulgentem alteram* (duplicatâ enim vasorum serie hic erat instructus) injeci; comparuerunt enim tum , liquore admodum serpentis se diffundente , corpuscula minuta rotunda , spatium intermedium occupantia, quæ glandulas constituere arbitror omnino: In nostrâ, de quâ quærimus *Puellâ* ne cri quidè horum omnium ex latere dextro observare potuimus, unde qui aquæ illius in vesiculis variis contentæ facta fuerit segregatio, sciendiavidum non parùm vexat: Tuo quidem iudicio scrupulus eximitur facilè, quod Renem integrum aliquando adfuisse putas, iis omnibus, quæ ad seri secretionem requiruntur, præditum: Verùm mirari subit adhuc , vesiculæ illæ , non continuæ , unde prodierint vel qui subsistere potuerint , Renis reliquâ substantiâ , à quocunque demum exesâ , neque enim *pelvis* vestigia fuisse existimo, minus *membranam Renes* naturæ ordine succingentem; quia plures fuerunt, nullam in-

vicem habentes communionem penitus: imò, quod plus est, qui glandulis & aquæ ductibus sublatis, lymphæ hujus, inodoræ facta fuerit secretio, omnes æquè facilè non capient: fortè etiam fibrarum absumptarum aliqua adfuisſent vestigia, ni materiæ acrimoniâ illas planè consumptas, vel aliquando emictas fuisse statuere velimus, quod quidem impossibile non videtur: nihilominus magis verisimile mihi fit, vitium in primo ortu extitisse, naturamque *Renis* ordinarii in locum vesiculas illas substituisse, néve in corpusculum infinitæ citiùs redundarent noxæ, sinistrum in figuram solitâ ampliorem extulisse, communi officio utpote qui solus fungi tenebatur: De *emulgentium* vasorum absentia certi quid pronuntiare non ausim: potuerunt illa cadente usu obliterari, in vesiculas ipsas etiam si perrexerint aliquando; aliunde enim quam ex vasis aquam illam derivare difficile, Vale.

Dab. Bas. d. 10. Apr. 1680.

EXERCITATIO XXXVII.

De rene absente iudicium.

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

Quo alio errore puella vestra renem suum amiserit quam vehementi ac enormi matris imaginatione aut terrore, siquidem
inde

inde à primo ortu renem abfuisse judices, nec divinando assequi possum, Hardere amicorum ocelle: cùm enim Dei opus sint animalia cætera omnia, æque ac homines, manci vel mutili nihil produci potest nisi ab injuria externa tale reddatur. Quamobrem siue animalium partes ovis jam inde à condito mundo formatas inesse statuam, siue eas demum accedente matrimonio divinitus effingi autumem, iniquum tamen dictu foret potentissimum ac sapientissimum creatorem omnium, puellæ huic defuisse eamque imperfectam aut monstrosam condidisse, ceu altero rene truncam. Manet namque ordo naturæ semper idem, estque immutabilis. Statuendum ergo, ne quid delinquamus, puellam istam aliquando præditam fuisse utroque renum, deletum verò postea dextrum in utero perversa matris imaginatione, ni morbum admittere malimus, à quo ren credatur absumentus & in vesicas illas redactus, quæ renis loco in cadavere superstites hæserunt. Profecto ob arctissimam embryonis cum matre sua unionem & necessitudinem apud illum mira potest & parrat hujus imaginatio, uti quotidiana exempla testantur, quibus tanquam meminisse non notis ac obviis recensendis lubens supersedeo. Id sane ratum est nobis, posse mulierem gravidam viso forte animalis cujusdam rene corrupto aut depravato ita affici ac inhorresce-

re, ut deinde parturiens edat alterutro rene
privatum. Sed & fieri posse putamus ut fœ-
tus in utero nephritide laborans renellum
renem amittat, imprimis si parentes eodem
vel simili malo affliguntur. Vale.

Dab. Bernæ 7. Calend. Aprilis 1680.

EXERCITATIO XXXVII.

*Ren dexter deficiens: Pullus feli-
nus abortivus. Limacum
Renes.*

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

ALio me impetis Hercule. *PEIERE* ami-
cissime eoque satis forti, *Renem* dextrum
ut in puellæ nostræ corpusculo aliquan-
do adfuisse evincas; naturæ enim ordi-
nem Dei que omnipotentis voluntatem im-
mutabilem profers, quorum neutri ego fa-
cilè reluctari potero: Ex ovo animantia sin-
gula prodire, firmum stat apud me & in-
concussum, nullus etiam dubito, partium
singularum stamina eidem, si aliter Natura
sibi bene constet, inesse: Tuum tamen ju-
diciam nondum distinctè capio, fieri potuit
quoniam, ut in ipso ovo circa partis jam sæ-
pius decantatæ efformationem illa ipsa hal-
lucinata fuerit, quòd quidem faciliùs contin-
gere à perversa matris imaginatione, ovo in
utero jam existente, sui que incrementum
conve-

conveniens accipiente, neutiquam eo inficias; siquidem olim jam docuerim quàm arcta embryoni cum matre intercedat necessitudo: de hâc autem quidquam hæctenus quamvis valdè cupierim, rescire mihi non licuit, imprimis quòd matre insciâ & oblitante cadaver istud cultro subjecimus: Ratiociniis itaque allatis acquiescendum tantisper, dum de imaginatione depravatâ, quâ cum utero gestaret misellam hanc laborârit, certiora edoceamur: Illud interea monuisse sufficiet, etiam animantia bruta foetûs istiusmodi monstrosos producere, quòd confirmat evidenter historia *pulli felini abortivi*, quam pro affectu nusquam satis demerendo, Excell. SPONIUS mihi impertit: *Superioribus, inquit, hisce diebus oblatus nobis fuit pullus felis abortivus, masculini sexus, in quo Renes quatuor, duas vesicas ἑποδίοχες, duplicia genitalia mascula, duplexq; colon intestinum deprehendit solertissimus extispex, Dom. Joh. de Ville, unus ex Collegis nostris: Præterea huic ipsi cadaverculo pedes octo præsto erant, duplex spina dorsi, & quidem utraq; caudata duplexq; sternon, partibus internis reliquis simplicibus existentibus. Utrum jam singulæ hæ partes inextiterint ovo extra uterum constituto, an verò à vitiosâ impressione, quàm spiritus felis matris receperunt, ortum suum traxerint, sagacioribus rursus pandum relinquo: In cochleis domiportis, quarum examini de-*
nuo

nuo me accinxi, cùm *Renes* hucusque non repererim horum ratione multa propalanda non habeo: *Limacibus* tamen concessos esse eosdem auguror, occupant siquidem circa hepatis fines prope caudam, utrumque latus *glandulae* duæ subnigricantes, fabam minorem figurâ referentes, quas per ductus convenientes excrementum serosum viscidiusculum ad foramen circa extremitatem caudæ conspicuum segregare probabiliter arbitror, de quibus singulis, ubi Tuâ, quam avide præstolor, fruar præsentia prolixius dicam. Vale.

Dab. Bas. declinant Mart. 1680.

EXERCITATIO XXXVIII.

Judicii de absente rene confirmatio.

Ad cochleas penitus lustrandas calcar.

Hiatus suturarum cranii. Tumor capitis universi.

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

DE renis absentia judicium meum adeo simplex est, & tam clarum atque distinctum, ut obscuritatis aut difficultatis nihil contineat quod attendentis assensum inhibere possit vel remorari ancipitem. At de imaginatione sententia mea tunc demum locum habebit si conscia mater illius nos facit certiores. Etenim in re ambigua expedit de
omni-

omnibus quæ fieri posse videntur verba facere, quam intempestivo silentio aliquid memoratu dignum præterire. Sin mater vehementioris imaginationis gnara non est, qua embryonem perculisset, causa utique omnis unice in depascentem renis morbum transferenda, qualis demumcunque is fuerit. Neque aliter nodum hunc solvi posse existimo, nisi edoceant alii. Te ad cochleas examinandas subinde reverti lætor, & illarum gloriæ strenuum assertorem vindicemque te voto jam prosequor tantisper dum aliquando coram liceat ope. Stat enim sententia te urbemque vestram & academiam denuo invisendi, ut inde reportem doctoris insignia. O quam gratum mihi tunc erit ora tua deo-seculari, confabulari cominus de innumeris ad sapientiam & medicinam pertinentibus, lustrare tecum naturæ penetralia, & conjunctis viribus ea experiri quæ animum honesta voluptate perfundunt, mentem doctrina imbuunt, rationem perficiunt usu, & præstant vivum post funera nomen. Pridem in nosocomio Bernæ virginem vidi cui dissoluta casu futura sagittalis in capite adeo hiaverat, ut transversus digitus interjici posset, salvo tamen cranio & cute. Simile quid etiam sorori meæ olim accidisse memini, cum à casu præcipiti diuturnos capitis dolores sustinisset: sensit namque aliquando per quietem aliquid in summo capite dissilire, cum sonitu,

sonitu, qualem fractus edit baculus ligneus. Quamobrem attentans omnia tandem animadverti futuram coronariam inopinata divisione hiulcam. Hiatus tamen sponte iterum coaluit. In nosodochio Bernensi nunc præterea decumbit puer cui caput universonum intumuit ut mentiatur hydrocephalum. E' tumore inciso & aperto magnam puris vim quotidie evacuant, & recuperandæ sanitatis spes affulget. Vale.

EXERCITATIO XXXVIII.

De ciconiâ quædam & glandulis intestinalibus, cochleâ item domiportâ.

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

Tuum à nobis discessum inopinatum, quàm ægrè tulerim, multis profari opus esse non arbitror, ipse siquidem in mutui doloris memoriam facilè, redibis: nec minus sollicitum me reddidit silentium diuturnius, de quo quid ominari debeam hærerem adhuc, nî Amicus quidam Nerobergam te concessisse nuntiâisset pridem, animumque reddissent hesternæ tuæ, quibus bonis avibus iterum beatus fui: Gaudeo proin valere Te *Φίλτατον κἀρα*. Quoniam & ego valeo, tuisque sospitem reditum esse, quo novorum tuorum suavitate vicissim quoque reficiar. De

Ciconia

Ciconia Anatome, in quâ præcipuè plexus glandulosos intestinales, elegantes illos & nitidos, cum admirandâ pulmonum structurâ attentius persecutus sum, propediem ad te scribam prolixius, additurus aliqua, de *glandulis intestinalibus pueri Comato epileptici*, cujus interanea notatu dignissima nobis exhibuerunt, uti observationes nostræ aliquando docebunt, quò sentias vigere adhuc affectum pristinum neque *Peteri* memoriam apud me exoluisse, utpote cui præcipuè hæc de intestin. glandulis notata servavi: Forent & alia quibus tecum luderem, nî mentem magis feriis intentam, turbare sacrum ducere: Scripsit ad me nuper Excellentiss. *Waldschmied.* Profess. Marpurg. Medicus & Philosophus verè rationalis, inque amici affectus tesseram, Disputationibus aliquot me honoravit, quas avidè legi, lectasque probavi vehementer: eò jam collimo unicè ut officiis parilibus hujus Viri favorem demereri queam. *Fustello* Parisiensi, viro multijugæ scientiæ laude inclyro, *cochlea* nostræ Examen apprimè placuit, quod vel hesternæ ejus denuò testatæ sunt. Meminit idem foecunditatis animalculi hujus, ferè indicibilis, cum in proprio horto. infinitum penè numerum minutarum cochlearum deprchenderit sæpius, cujus veritas etiam mihi, vernis primisque æstatis mensibus, circa cereæ testæ filamenta occupato, animadversa fuit aliquoties, quibus
omni-

omnibus majorem faciem accendet ovulorum numerus, quem copiosum ab illis excludi verisimile est: Nullum, quod sciam superest exemplar ulterius, adeo fortunante Numine facilem apud plureis obtinuit applausum: At cum & ratione muscutorum cornibus, aliisque partibus movendis dicatorum, & ratione genitalium, ductuum item peculiarium, per quos materia operculi formandi ingruente hyemo advehitur, &c. plurima prioribus illustrandis inservientia, reiterata sectione repererim haecenus, scire per quam desidero: num malè actum iri autumes, si secundæ parti, tanquam auctario, concinnandæ manum admoverem: De usu sane, quem ipsi *Cochleæ*, partes recensitæ præstent, exactius scribere non potui, impossibile quoniam uno ictu singulorum in notitiam devenire; nunc autem evidentius detectis & confirmatis plerisque, distinctius eundem asserere poterò: Nollem tamen te in salutato quidpiam tentare. Vale.

Dab. Bas. d. 22. Octobr 1680.

EXERCITATIO XXXIX.

*De cochleis alia monita. Ossicula
in aorta humana.*

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

Quoniam de cochlea primi labores tui placuerunt eruditis omnibus, ita ut col-
lauda-

laudarentur etiam à primæ notæ modicis atque philosophis, & exemplaria desiderantur, alteram editionem dissuadere non possum, quin te hortor potius ut prioribus observationes posteriores addas, è quibus lectores percipient lucis & gratiæ plurimum. Animalium scrutinio impensæ operæ te nunquam ædepol pœniteat, neque pigeat unquam vel in minimis insectis ea rimari quæ delectant & erudiunt maxima ingenia, sapientiamque divinam coram deprædicant veneratione ac cultu oppido dignissimam. Otii plurimum mihi absumferunt peregrinationes, obfuit etiam adversa valetudo, ut quas debui voluique suppetias tibi ferre non potuerim. Sed forsitan excusatione haut est opus apud amicum: culpam enim nosti neutiquam esse meam, & facultates tibi suppetunt perficiendis etiam majoribus pares. Scis quopue me de glandulis intestinorum exercitationem alteram conscribere, & præterea de ruminatione observationes singulares, quibus volupe mihi est subcivivas horas impendere. Operam itaque ipse dabis, vel me tacente, ut in cochleis plenius describas & musculos multiplices, & paria nervorum, & cerebrum quod meministi præterito vere cum Basileæ essem & cochleas una dissecares tibi à me commonstratum fuisse, & genitalia, & arcentis hyemem operculi gypsei ortum, & si quæ sunt alia id genus admiranda. Facem observationibus tuis ad-

O

dere

dere quoque poterit Listerus, si altius penetravit; vel tu ipsum illustrabis, si fueris in scrutando superior: nam & Svammerdamius in bombycibus ea detexit quæ sagacissimi Malpighii industriam aciemque effugerant. Obtrectatores non cura, qui in re vili & abjecta operam te perdere ogganiunt, invidia vaporibus turbati: quotquot enim naturæ opera nobiscum æqua ratione æstimant, in cochlea terrestri tantundem artificii, imo plus, observant ac admirantur quam in elephante animalium vastissimo. De cochleis ad usum coquinarium ea insuper annotare si libet licet, quæ præclarus autor Bapt. Platina lib. IX. de hon. volupt. memoriæ prodidit. Ad medicinam vero facit Aloysii Bellocati insignis observatio de hæctico & hæmoptoico, cochlearum in aqua hordei decoctione sanato, apud celeberrimum doctissimumque virum G. H. Velschium chil. I. curat. DCCCIX. Rursus ad caneros ex cochleis remedium H. Reusneri obs. CXXXII. ubi editor Velschius præterea notat ex Hollerii instit. chir. lib. III. Cap. II. vulneratos nervos demulceri cochleis. Jeremias Martius obs. med. XXXVI. cochlearum domunculas subtiliter tritas & prunis insperfas feminis hystericis efficaciter opitulari, autor est. Sed de his satis. Noribergæ nuper compellavi illustrem Volkamerum. Apud Gruberum medicum, quem tu quoque cognovisti, aortæ humanæ frustum

vidi

vidi adnatis interne ossibus asperum, mirando spectaculo. Altorffii Joh. Mauricius Hofmannus hortum mihi monstravit medicum. Augustæ Vindelicorum in transitu familiaritatem contraxi cum Luca Schroekio L.F. occupato in edendis Velschii observationibus posthumis. Alia quoque multa observavi in itinere, sed describere non vacat. Cura ut valeas.

Dab. Scaphusie d. 26. Octobris 1680.

EXERCITATIO XXXIX.

*De cochlearum cerebro, glandulis
item intestin. Ciconia & Pueri
epileptici.*

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUS. S.P.D.

Maximopere obstrictum me Tibi sentio, quòd de cochleâ denuò edendâ, non modò sententiam candidè dixisti, sed quæ ex aliis depromisti animadversione haud indigna, insuper communicâsti: curabo diligenter ut prodeant singula, cerebrum inprimis, quod primus mihi Tu monstrâsti, cum cohorte suâ nervosâ, & cujus structuram lepidam postea sæpius quoque rimatus & miratus fui etiam in limacibus: Fabulam equidem videbor narrare aliquibus, si *cochlea* cerebrum esse dixerò, quod sub vasis compluribus à me detectis ac descriptis, tutò latitet, ne-

que in conspectum pariter veniat omnibus, qui tamen manus dabunt facilè, ubi situm ejus & fabricam aliaque distinctiùs descripta & adumbrata viderint: Cochlearum in Medicinâ & Culinis usum, quem multâ ex parte in primâ editione jam delineavi, ulteriori observ. agmine augebo ac confirmabo, ne quidquam statuisse videar, à veritate absoni: sed ad intestinorum glandulas: In Ciconiâ majore, quam oleo Nicotianæ enecui, intestina trium ulnarum longitudinem æquare deprehendi, quæ quâ materiam albidam gypso similem, quâ plexus glandulosos spectâdos exhibuerunt. Horum insignem in duodeno, hinc alium in jejunio vidimus, quem inferius parvuli duo exceperunt, à quibus paulò remotior unus distabat omnium maximus, quippe unciam cum semisse longus, succedente alio. Sub ilei finem plexus adfuit longissimus. Adeo nempe provida natura etiam volucris prospectum voluit his glandulis: Ilei fini appensum erat cœcum instar vermiculi duplicatum: nec minus jucunda fuit aspectu vesiculosa pulmonum structura, quam animali calente adhuc dissecto, evidenter demonstrare licuit, unâ cum foramine peculiari, quod uterq; pulmonum lobus obtinet, (fortè ut aër infimo ventri eò faciliùs communicetur,) & asperâ arteriâ binis truncis, in utrumque lobum se inferente, &c. In puero Epileptico, quem præsentibus Vir. Clariss. *Zuingero*,
Roll.

Rolluvagio, *Ritzio* aliisque XXX. Sept. labentis anni dissecui, in tenuibus intestinis, ultra viginti plexus glandulosos protuberantes ostendi, qui omnes ferè gangrænosin cum aliquali duritie contraxerant: Valvulæ quoque conniventes *Kerkringii* in subjecto eodem eleganter micabant: De hoc autem mihi videris monendus, esse qui de muco s. sero subviscido, quod glandulæ ejicere nobis dicuntur dubitent, de harum licet existentiâ certi: Monstravi illum allegato *Rolluvagio*, in chemicis aliisque non mediocriter versato, qui Excellentiss. *Bohnum* experimentis pluribus eundem mucum, sed irritò conatu tentâsse asseveravit: Nostrum itaque erit, quæ scriptissimus defendere & veritati stabiliendæ ulterius inhiare. Vale.

Dab. Bas. d. 29. Octobr. 1680.

EXERCITATIO XL.

*Glandulæ & pituita intestinorum.**Jünkii chimia experimentalis.*

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

EX observationibus tuis, quarum me participem denuo fecisti, non modo indefessam diligentiam tuam & affectum in me singularem planeque fraternum colligo, sed etiam robur & audaciam quandam, seu ut veri-

us dicam fiduciam animo meo immitti *sen-*
 tio, de glandulis intestinorum haut aliter pro-
 nunciandi, quam in priore exercitatione à
 me factum est; imo refutandi cæteros, qui
 se nobis opposuerunt. Nam in anatomicis
 evidentium experimentorum pluralitas vim
 veritatis habere mihi videtur. De muco ta-
 men seu pituita intestinorum, quam nos è
 glandulis oriri diximus, incertum est & an-
 cept, fateor, iudicium; si illius naturam pen-
 sites. Alias equidem amplius haut ambigi-
 mus utrum mucus adsit nec ne, apparet enim
 quærentibus; illud vero dubium relinquitur,
 an viventi corpori inhæreat perinde viscidus
 atque reperitur in extis demortuorum. Et sa-
 ne hæsitandi causa nonnulla subest: lentescunt
 enim vel tenuissimi humorum membris ex-
 tincta vita obrigentibus, & qui jam antea te-
 naces erant, morte adhuc magis inspissantur
 ac coeunt penissimè. Quamobrem fer-
 me viscidum humorem appellare malui quàm
 mucum. Neque enim tenacitatem omnino
 mucosam intelligo, nisi forte in crassis inte-
 stinis, quorum glandulæ ab adenibus tenuium
 intestinorum differunt. Cæterum pituita
 nunquam non reperitur, sive quis brutorum
 viventium interaneis cultrum injiciat, sive ri-
 metur cadavera. Quoniam autem existimo
 tenuium intestinorum glandulas esse prom-
 tuaria succi spirituosi, quo chylus perficitur,
 illum æque muculentum aut sordidum re-
 puta-

puta-

putare ac est mucus narium nec juyat, neū expedit: quanquam haut inficier fieri posse ut in eodem subjecto secundum ætatis, temperamenti, & valetudinis mutationes varius emergat; imo variat idem procul dubio etiam in unius speciei differentibus individuis, pariter atque cætera omnia, sic ut talis frustra quærat apud Petrum qualem exhibuit Casparus. Quibus demum experimentis intestinorum mucum tentarit inclytus Bohnius ex Rollvvagio, quem citas & collaudas in tuis, addiscas velim, mihi que commode significes, ut difficultati mature subveniamus, vel si quis est defectui & imbecillitati nostræ. Sed ut ad alia quoque nunc transeam, scire desidero tuum & affinis tui Ritzii iudicium de Johannis Helfrici Jünkii Chimia experimentalis, curiosa, mathematica. De domiportarum usu equidem nonnulla ibi legisse memini, ad rem tuam facientia, si eo excurrere libet. At chymicis quibusdam & quondam etiam magno Paracelso nostro usitata scribendi ratione ac licentia, Latinæ linguæ vernaculam ubique permiscuit & vicissim, quam tamen confusionem moleste non feremus, si modo promississet eventus atque res titulis respondeant. Vale.

Dabam Scaphusie d. 2. Novembr. 1680.

EXERCITATIO XL.

*De pituitâ & glandulis intestino-
rum tarda.*

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

Quænam experimenta Nobiliss. *Bohnum* cogant serum glandularum nostrarum dubium facere, à *Rolluvagio* hætenus non exploravi prolixius: id verò dicere habeo necesse, è Viri illius sagacissimi Disputat. Physiologicis, istud me eruere non potuisse, quamvis studiosè inquisiverim; audio quoque Anatomes eum esse peritissimum, nec citra experimentorum momenta quidquam facile statuere, unde adducor ferè, ut hujuscemodi quid *Bohnum* nunquam asseverâsse credam. Nihilominus ut in rem præsentem alios ducerem, nostramque positionem obfirmarem, hoc ipso manè, cani masculo, mediocris magnitudinis, cùm ante bene pastus fuisset, laqueum & hinc cultrum injeci: Remotis musculis abdominis & peritonæo, glandulæ intestinorum manifestissimè patuerunt adstantium oculis, inter vasa hæmagoga, quæ ad instar serpentis aut hederæ illas undique perreptabant, micantes atque humore turgidæ, ut foris etiam protuberarent, nullis tamen lacteorum vestigiis ibidem se offerentibus, quod sanè mirum, si glandulæ dici debeant

beant

beant eorum oscula. Plexuum horum in intestino duodeno glanduloforum conspeximus quinque, in jeuno & ileo viginti quinque. Quo autem de feri in glandulis turgidulis contenti naturâ & copiâ certiores redderemur, duos è maximis plexibus, ligato prius intestino excidimus, mucoque flavo deterfo glandulas præfero lubricas leniter compressimus: inde limpidum serum uberè satis profiliit, uti testabuntur Præstantiss. *Emanuel König & Philippus Speckerus* autoptæ. In tardâ, ave in hisce terris rarâ, quâ ex benevolentia Ampliss. D. Trium Viri *Brunsvyleri*, Mecœnatis mei nusquam sine tacitâ animi veneratione nominandi, potitus sum, intestina cum plexibus sæpe laudatis itidem lustravi: Venter huic volatili maximus est, & in duas quasi partes dividitur, parum carnosus, valdè tamen crassus, membraneus, ac herbis contritis, citra lapillorum feriem prægnans; eâ qua cibum ex œsophago immediatè recipit, parte, contenta habuit humidiora, tunicaque hujus interior, plicis membraneis, ac densis, arctissimè invicem contextis donabatur, parte verò alterâ, qua duodenum egreditur, contenta latuerunt sicciora, tunicâ interiore denticulata penitus existente. In intestinis quæ variè erant convoluta, tenuibus in primis plexus glandulosos hinc inde observavi: *Recti* facies interior tota fuit glandulis minutissimis, quales in ventriculo conspiciuntur aliàs,

referta, intestino autem ileo adjacebant utrinque appendices intestinales duæ, versus eundem, uti quidem conjectabar exitum tendentes, facieque internâ plicosæ & reticulatæ: quin etiam in uropygio glandulæ conspicuæ prominuerunt. Cæterum quod de *Jünckij* Chymiâ experimentalis ab Affine meo petis judicium, idem est cum meo: Nobilis est liber & curioso suo Authore dignus, qui libertatē quam sibi vendicat, Germana Latinis immiscendi, medicamentorum illic propositorum præstantiâ excusatam reddit facilè, id modò vellem, ut meliori ordine singula digessisset, & qualemcunque selectum ipse instituisset, quod bonâ Viri hujus cum veniâ dixerō. Vale.

Dab. Bas. d. 5. Novembr. 1680.

EXERCITATIO XLI.

Tarda avis. Hortatio ad anatomie cultum. De pancreate schediaσμα ad clariss. Johannem Conradum Brunnerum.

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

QUæ de tarda ave à te nuper dissecta & perlustrata mecum communicasti mihi perplacent, & gratias pro iis tibi ago habeoque maximas. Memini excellentissimum Wepferum olim Argentorati similia observa-
va visse,

vavisse, cui tamen etiam observationem hanc-
ce tuam ostendi, quam ille suæ protenus ad-
junxit, ut sentires industriam tuam placere
& probari ædepol virorum præstantissimis.
Tu perge sodes pari diligentia & fervore ad-
miranda naturæ opera scrutari & anatomen
excolere, qua inter cæteras mundanas oc-
cupationes nulla mihi videtur nobilior & ju-
cundior, vel homine rationali quovis æque
ac philosopho & medico dignior aut decen-
tior. Clarissimus vir G. Josephus Du Verney
medicinæ Doctor & anatomix atque Chirur-
giæ Professor regius, Parisiis nuper humanif-
sime à me petiit, ut sibi cor & linguam &
œsophagum ad demonstrandas fibras artifi-
ciose præpararem, atque hinc Lutetiam mit-
terem; sed propter alias distractiones & im-
pedimenta aliena varia, quæ sæpe invitum
vexant, negotio isti nunc vacare non pos-
sum, & doleo me ejus petitionem teneri ir-
ritam relinquere, nam adamo virorum opti-
mum, qui me beneficiis suis cum Parisiis ef-
sem in ejus amplexu vehementer obstrinxit.
Forfan autem aliquando erit commodior
his perficiendis occasio. Cæterum peto abs
te historiam de Mutetensibus veneno inter-
emtis, quam recordor cum præterito vere
Basileæ degerem te mihi promississe: nam de
venenatorum noxa meditatio quædam illam
mihi auspicato in memoriam revocavit, tan-
tum non oblivioni traditam. Ne autem ina-
nes

nes

nes sint hæ literæ, aut penitus infructuosæ, en tibi schediasma de pancreate & ejus succo recenter à me deproperatum, ut inclyti Wepferi desiderio satisfacerem, qui generi sui Johannis Conradi Brunneri medici & anatomici sagacissimi manuscriptam exercitationem elegantissimam de pancreate perlegendam & æstimandam mihi tradidit, antequam imprimeretur. Hoc ergo & tu perlege, mihiq̄ue de eo mentem tuam significa. Vale.

Dab. Scaphusia d. 17. Jan. 1681.

JOHAN. CONRADI PEIERI
SCHEDIASMA

de

Pancreate & ejus usu, ad Johannem Conradum Brunnerum, Medicum Diessenhofianum.

Q*uia pancreas alii floccipenderunt, alii nimium eidem tribuerunt, adeoq̄ in defectu ac excessu peccatum est, laudamus industriam, Brunneri, tuam cuncta sic attemperantem erudito calamo ut appareat omnibus quantum illud valeat & quid ferre recuset. Neq̄ enim ratiunculis levibus, quibus alii scriptores pleriq̄ usq̄ ad fastidium nostrum inherent, sed gravibus experimentorum momentis, quod philosophum & anatomicum decet, niteris, raro exemplo solidus æque ac perspicax autor futurus.*

Com-

Commodum autem de pancreate experimento-
rum & meditationum tuarum autographum ad
me pervenit, curante socero tuo magna laude
aternalq; memoria dignissimo, cum ego secunda
exercitationi meae de glandulis intestinorum li-
mam adderem; ibi enim de pancreate nonnulla
quoq; dicturus sum, inter glandulas intestino-
rum post hepar maxima, latorq; vehementer
datam mihi ansam laborum tuorum mentio-
nem denuo faciendi & ad eos provocandi.
Quamobrem te non hortor modo sed etiam ob-
testor, ut de pancreate observationes tuas sin-
gulares brevi divulges, nisi tantisper expectare
malis, dum quae à canibus haëtenus reportasti
experimenta in aliis quoque animalibus perfici-
as, magno instituti tui firmamento. Praëcla-
rum hercle juxta ac mirandum spectaculum fo-
ret præter canes apud te videre hic felem, illic
ovem, istic capellam, alibi aves, pancreate qui-
dem truncas, at nihilominus vegetas atq; vi-
vaces in menses plusculos, imò in annos. Sen-
tentiam perlibenter mutabo à te meliora do-
ctus, nec quod in prima exercitatione de gland.
intestin. tantum opinatus fueram, amplius di-
cam; animalia pancreate privata vigore minus
agili gestus suos ac saltus peragere: vel si pror-
sus eliminandum non sit effatum hoc saltem mi-
tigabo, asserens tua fide animantes pancreatis
orbas, postquam appetitu prostrato aliquamdiu
languerunt, recuperare vigorem pristinum.
Quod qua ratione fiat tu doctè enucleas, & ego
ante-

antehac in prima exercitatione exposui; nimirum in glandulas intestinorum alias transit pancreatis exterminati officium, quæ serum quoque seu lympham secernunt ac percolant, ad dissolvenda alimenta atque diluendum chylum necessariam. E quibus liquet pancreatis usum nonnullum esse, minimè vero tantum quantum sibi imaginatus fuit Franciscus de le Boë Sylvius, à multis ideo jam taxatus, hujusque discipulus Regnerus de Graaf, premature vivis ereptus & in scriptis suis eximiis multa forte retrahiturus, si longævum esse illi contigisset. Sed ut pergam liberrimè dicere quod sentio; pancreatis succus spiritibus animalibus & sanguini originem suam utique debet; nam ad pancreas nisi per arterias ac nervos, quod equidem sciam, nihil accedit: at, ne quid præter necessitatem multiplicemus, succus nutritius, cujus sobolem facis succum pancreatis, forte non est pars sanguinis sed sanguis ipsissimus. Fallor enim aut ipse fateris ad hujus essentiam non requiri ut purpureret, darique affirmas cum in aliis animantibus tum aliquando in hominibus, cum primum in utero formantur, sanguinem album, certe limpidum. Amnii tamen liquor, quem ore haurit embryo, proprie sanguis aut succus nutritius non est, etiamsi in nutrimentum & sanguinem abeat: sed tantum cibus, ni succi nutritii nomine, quod nos restrinximus, largè sumto indiscriminatim alimoniam omnem, præterea & hac quoque & chylum, usurpare adeoque nihil distincti

stincti

distincti significare malimus. Imo nec lymphæ dici
 potest nutritia, si accurati esse volumus, neque
 nutritium serum, nisi putentur synonyma san-
 guinis: nam in glandulis secreta illa quamdiu
 vasis suis inerrat non nutrit, ad cor autem ac
 sanguineas venas delata mutato nomine verti-
 tur in sanguinem & fit succus nutritius, è quo
 singula partes demensum capiunt prominentibus
 arteriis, sibiq; pro modulo suo adaptant. Ar-
 duum quoque & difficile explicatum est utrum in
 generatione partes ac membra animalium pro-
 cedantur ac delineentur ex ovi colliquamento,
 ut vocant, seu lymphæ crystallina, tanquam è
 materia prima, an jam formata ante existant,
 tam tenuia licet ut vel microscopium præ exili-
 tate fugiant, atq; iis circumfusis humor tantum
 sit mollicellus cibus? Revera expensis scrupulose
 omnibus partiumq; studio & præjudiciis seposi-
 tis posteriorem sententiam, ut ut valde abstrusam
 ac à sensibus remotam, gravissima argumenta
 priore magis probabilem reddunt; adeo ut à ge-
 nerationis primordiis argumentari nequeas suc-
 cum nutritium à sanguine diversum vel partem
 sanguinis. Tandem spiritibus animalibus tecum
 multa tribuo, in quibus etiam plus mysterii ac ef-
 ficacia situm esse quam in lymphæ aut alio quo-
 vis humore existimo. Feruntur ii copiose ad pan-
 creas, cum ut secretioni præsent, tum fortassis e-
 tiam ut secreto vel secernendo humori sese ipsi
 immisceant, vigorem inspiraturi. Nam in cor-
 pore viventis animalis nihil adverto quod æque
 mobi-

mobi-

mobilitate vigeat ac nervorum spiritus, quo
 subtracto humores & reliqua partes omnes con-
 quiescunt ac immota concidunt. Hic sanè impulsor
 hic machina animalium motor est. Quod ut præ-
 stet, opus est omnino ut sit corpus fluidum, idq;
 aëreum potius quam igneum aut aqueum. I-
 gneum enim destrueret plusve debito agitaret;
 aqueum langueret perfacile, nec motum sangui-
 ni ceterisq; humoribus etiam fluidissimis impri-
 mere ac eosdem subigere posset. Erit ergo aëreum,
 hoc est tale quod præterquam quod in motu per-
 petuo particularum suarum versetur, intercur-
 rente ac agitante materia subtili, ita compara-
 tum est insuper, ut extrinsecas intrinsecasq; im-
 pressionibus alias omnes recipere ac propagare
 queat. Quæ cum ita sint non percipio quam
 alia de causa madeant nervi, quam ut semper
 molles permaneant nec exarescant, tunc præci-
 pue quando à vehementi spirituum agitatione
 corpus aestuat. Verisimile autem non est inditum
 esse nervis aliquem succum, qui spiritus anima-
 les cohibeat mulceatve: ad quid enim opus mu-
 nimine hoc vel linimento? Illud nervi ipsi præ-
 stant, ad retinendum corpus aëreum mire fabre-
 facti, & poris præditi tanto minoribus quanto
 inherens aura subtilior est; hoc supervacaneum
 ac noxium foret, si qua admitteretur: nam be-
 ne valentibus naturâ placati sunt spiritus, &
 ad sui corporisq; universi conservationem pla-
 cidè conspirant, sponte nunquam furituri; at
 exagitatis aut injuria quadam vel objecto ex-
 tero

terno

terno commotis perniciem id linimentum adferret, quia impediret ne spiritibus tantum motus imprimeretur quantum objectum in corpore fecit, ex quo machina brevi destruetur: nam ad hujus conservationem necessarium est ut quantum impressionis sit tantundem mediantibus spiritibus nervorum cerebro communicetur. Et hac quidem paucula, mi Brunneri, conscribere de hisce collibitum fuit, partim bona tui libidine, quem inter amicos primates habeo, partim magni soceri tui hortatu, non ut temere contradicerem, sed stimulum tibi adderem hac & plura alia experimenta in commune bonum favente DEO proferendi, quandoquidem sagacitati tuae facultates & occasio suppetit.

Scribebam Scaphusiae d. 10. Januarij Anno Christi 1681.

EXERCITATIO XLI.

De Pancreate & ejus succo. Veneficâ item Zeuningenfi &c.

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUSS. P. D.

Clariss. BRUNNERUM de pancreate curiosa quæpiam meditari, docuerunt me literæ Nobiliss. Scretæ, quibus hesternæ tuæ suffragantur, rationum momentis admodum prægnantes: Ego ecquidem eâ semper fui in sententiâ, pancreas non frustra ductu excre-

P

torio

torio multiplici, vasisque hæmagogis ac nerveis donatum fuisse, præprimis cum quæcunque ferè animalia illo beari hæctenus edoctus sim, ejusque structuram vasis eleganter obmunitam aliquot in canibus perpendere studiosè, ut mirum me subierit, hujus jacturam vel ablationem num animalia citra noxam graviolem ferre queant. In canibus siquæ experimenta successerunt feliciter, eadem quoque in aliis animalibus reiteranda arbitror, non quòd pertinaciter inficier, viâ per pancreas succum fermentaceum excernendi præclusâ, per glandulas intestinales naturam eandem duplicatâ operâ supplere posse, sed quia vel ex hoc ipso necessarius pancreatis usus elucet; sicut notamus Rene uno officio suo cadente, alterum in suppetias vocari, nec tamen citra labem multijugam ejus defectum naturam ferre: Et si hæc ipsa, machinâ nostra incolumi existente, singulis partibus chylicationi promovendæ destinatis, suum quod contribuere possunt ac debent, legâsse dicatur; glandulæ intestinales pancreatis officio defuncturæ, à naturâ oneratae esse, necessario censendæ erunt: nec dum crediderim chylicationem probè ita peractum iri: De naturâ *succi pancreatici* multi multa: patescit ea satis ex effectis noxiis, quæ in statu præter naturali succus hic parere solet: Materiam ejus sive sanguinem dixerim serosum, sive succum nutritium, perinde

perinde erit, sanguinis siquidem essentiã non in rutilo colore consistit: Sanguis itaque est, ex cujus partibus proportionatis, perque glandulas pancreaticas filtratis ope spiritus nitroaërei dictus succus elicitor: Serum quandiu vehiculi vices agit, nutritium non est, neque lymphã, partibus nutritiis imprægnata quamvis, (cùm è glandulis secernitur post nutritionem residua vel superflua, inque vascula propria recipitur,) nutrit antequam sanguini denuò commixta, ulteriori motu, partibus apponi & adhærescere magis apta evadat: Ex colliquamento *Harvei* partes animalium qui produci asserunt, generationem ex ovo minus probè intelligere videntur, siquidem huic præter motum, qui à liquore genitali viri communicatur, nihil desit, utpote cujus ope particulæ quælibet in ovo agitæ, sese magis magisque extricant, & partes singulæ hinc, quasi è latebris efformatæ prodeunt: Motus hujus maximam esse *ἐνεργείαν* alia in aliis corporibus testantur effecta, plantis imprimis & insectorum plurimis, de quibus prolixius heic agere vetor: Sufficit vel ipsius spiritus animalis bene esse, à motu dependere. Et hæc sunt quæ ad Eruditum tuum *γεωργίασμα* festinanti calamo adjicere potui, exhibiturus plura ubi petieris & occasionem commodam nactus fuero: In *tarda* ventriculum & intestina, si denuo hoc volatili potiar, quã potero industriã inquiram ulterius,

ut meæ, quam etiam aliorum esse sentio, satisfaciam curiositati: Adde his historiam horrendam *Veneficæ Zeuningensis*, quæ anno præterito Magistratus Ampliss. decreto supplicio longè dignissimo, igne cremata fuit: Hæc acta à Dæmone infernali personis 13, veneno variis modis exhibito, (quod vocabat *Maus Gift oder weis Gift*) necem funestam intulit, inter quas fuerunt quatuor ejus mariti, totidem liberi privigni, & quinque confanguinei Mutteti incolæ, pagi unâ leucâ ab urbe nostra distantis: *illis* quidem venenum vino commiscuit, *istos* verò nunc pasti s triticeis, nunc jusculis eodem nefariè refertis necavit: *hos* autem diabolicâ malitiâ tota turgescens, pane ex farinâ, quam ipsa prius venenavit, pisto occidit; Ultimum hoc maleficium diu latuit, usque dum divina Nemesis, pœnâ dudum promeritâ eam affici voluit: Ex dictis quoque personis præter Puellam unicam, annorum circiter 18, nulla fuit sub cultrum Anatomicum revocata, idque propterea quòd rumor de veneficio magis magisque increbuit: Adfuerunt autem sectioni, Chirurgi quatuor, qui juramento edixerunt, abdomine aperto *ventriculum* totum *lividum* comparuisse, è quo inciso sanguis nigricans proruperit: *Lienem* gangranosi penitus infectum & ex parte corrugatum fuisse: *Hepar*, quod primo intuitu sanum videbatur, incisione facta sanguinem

ex

extravasatum itidem ostendisse: In *Corde* verò juxta sanguinem grumofum nigrificantem, ichorem quendam subflavum extitisse: Atque hæc sunt, quæ diligenti inquisitione & perlectione Actorum, quæ in Curia nostrâ asservantur, resciscere potui, quibus Tu fruere & Vale.

Dab. Basil. d. 21. Jan. 1681.

EXERCITATIO XLII.

Puella & adolescentis veneno peremptorum anatome, Muteti prope Augustam Rauracorum instituta.

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

PRO additamento tuo ad schediasma meum de pancreate & ejus succo gratias tibi debeo maximas, quas vel eo nomine promeritus es quod tenuia commentaria mea ubique magni facias & benignè interpreteris. Quæ autem de Mutetensium infortunio narras à me desiderata, acciderunt nisi fallor anno hujus seculi septuagesimo quarto, mense Septembre: ita enim in adversariis meis id annotatum reperio, ipseque dissectioni præsens interfui, quæ sola & præcipua causa est cur jam denuo in rem omnem uti gesta est inquiram, quo eam tanto certius cum circumstantiis singulis memoriæ tradere vel literis mandare queam. Ignota tunc temporis erat venefica, putabaturque arsenicum e-

P 3

necan-

necandis gliribus in granario expositum miseriae causa ; quippe hominum incuria frumento fortean illapsum , vel ab animalibus eo deportatum. Præter puellam octodecim annorum Muteti me præsentè dissectus quoque fuit vicennis adolescens, veneno itidem miserè peremptus. Puellæ ventriculus non sanguine scatebat, sed bile plurima. Rubebat tamen interna ejus superficies, utpote inflammata ac erosa à veneno acri æque ac bile sursum translata & regurgitante. Sectioni duo tantum Chirurghi interfuerunt, & chirurgi unus famulus, sed medicinæ studiosi plures, cum Bernhardo Verzascha, poliatro quondam vestro celeberrimo. In corde utrobique fluxilis sanguis abundavit, neutiquam coactus in grumos. Pericardium inhabitavit subflavus & copiosus ichor, non cordis penetralia, quæ turgebant fuso sanguine. Miraberis opinor mecum hanc discrepantiam narrationum: at ego hæc sane tunc usurpavi meis oculis & accuratè consignavi literis, quæ tibi jam commemoro. Atque adeo ferè adducor ut credam diversas esse res gestas. Deest verò mihi, quam scire pervellem ad complementum historiae, malorum quæ ingestum venenum secuta sunt exacta cognitio: nam de aliis præterquam vomitu & convulsionibus mihi non constat. Vale.

Dab. Scaphusie d. 25. Jan. 1681.

EXER-

EXERCITATIO XLII.

Puella veneno enectæ historia ulter-
rior. Venenorum varietas & agendi
modus: Specimen Trallia-
neum.

JOH. CONRADO PEIER O

JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

NON videmur discrepare in iis quæ vene-
 no enectorum sectiones concernunt, Tu
 siquidem de *Mutetensium* sectione cui adsti-
 tisti loqueris, ego verò de *Puellâ Gibenacensi*,
 pago itidem ditionis nostræ, quæ anno de-
 mum præterito Diabolicam novercæ mali-
 tiam experta est: Misella ista semiægrotâ,
 jusculum quod à matre propinabatur, pri-
 mùm recusavit, hinc unum alterúmve co-
 chleare cum veneni spiculis hausit, quorum
 vim lethiferam, vomitu enormi, cum cardi-
 algia & siti intensâ, quæ totius corporis in-
 tumescencia subitâ excepit, statim persensit;
 Aperto cadavere ea, quæ ultimæ meæ retu-
 lerunt, Chirurgi animadverterunt: Id addo
 de materiâ quam vomitu ejecit comedisse
 Gallum, gallinam & catum, quorum *ille* mox
 alas volutare, circumgyrari, tandemque
 corruere cepit: *istius* verò machina ilico de-
 structa fuit: *hic* autem huc illuc circum cursi-
 tando, artusque variè succutiendo, veneni a-
 ctivitatem prodidit, de quâ prolixior disse-

rendo esse possem, nî summopere adhuc con-
 troverteretur inter præstantissimos Artis no-
 stræ Duces, qui tandem toxica enecent, atque
 etiam in homine Animam, in quam tamen
 juris potestatisvè nihil propriè loquendo ex-
 ercent, è suo cui tantisper unitur domicilio
 aufugere faciant: Id mihi persuasum jam
 habeo & experienciâ comprobatum, varias
 dari venenorum species, neque uno eodem-
 que modo vel pari celeritate interficere sin-
 gula: quin aliqua id agunt tardius, alia citius,
 quædam coagulando sanguinem, quædam
 hunc ipsum nimium fundendo: nonnulla in
 ventriculo statim & intestinis vim suam de-
 leteriâ exerunt, alia sanguinis massæ demum
 immixta: Omnia tamen fluidum vel corrup-
 punt, vel irritant vehemētius nervosum genus,
 de quibus eruditè aliquando nobiscum dispu-
 tâsti: Coeterùm mirari subit Excell. *Verzaschâ*
p.m. Mutetensium lustrationi præfuisse, nec ta-
 men rem omnem prout acta fuit & reperta,
 scripto Magistratui Ampliff. exhibuisse: fanè
 quàm diligentissimè inquire curavi, sed ne-
 cri quidem prodiit hætenus: unde ore tenus
 saltem coram Magistratu retulisse ipsum ar-
 bitror, quamvis literis consignari singula me-
 ruerint: Judicium quoq; ἀκρίβηλον de specimi-
 ne *Tralliano* (cujus copiam Tibi Cl. Wepferus
 faciet) festinanter equidem enato, & inter ne-
 gotiorum turbas, avidè præstolor, ut num-
 operi cœpto insistendum, an desistendum,
 nôsse

nôsse queam: Certè utcunque fors ceciderit
grata erit, Vale.

Dab. Bas. d. 4. Febr 1681.

EXERCITATIO XLIII.

*Venena quâ interimant. Trallia-
nus illustratus.*

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

PRO dubiorum meorum solutione gratias
tibi ago & animum offero ad officia prom-
tum. Cur Bernhardus Verzascha piæ memo-
riæ de Mutetensibus à venefica maleferiata
toxico necatis, & se præfente dissectis nihil in
acta publica referri curaverit, tecum miror
& causam ignoro. Nam hercle res notatu di-
gna fuisse mihi videtur, quam describere a-
pud me constitui, cum ansam habeam non-
nulla differendi de venenis. Hæc ædepol exi-
stimo qualiacunque sint fluidam solidamque
corporis humani æque ac belluini substan-
tiam primario adoriri, sævitiamque omnem
in corpore exferere particularum suarum a-
cumine & motu valde pernici, qui grassando
vires acquirit. Excellentissimus Wepferus in
eruditissima historia cicutæ aquaticæ præsi-
dem systematis nervosi in medium profert,
eumque à venenosis potissimum affligi sta-
tuit, cui equidem sententiæ ultro adstipulor,
si concedat præsidem illum esse ipsissimum

P 5

spiri-

spiritum animale, hospitantem in nervis & cerebro, nec eo nomine præcise intelligat animam sive substantiam sentientem & cognoscentem, hoc est immaterialem aut incorpoream. Venenatorum enim absoluta potestas in animam nulla eminet, quippe quæ mortalibus sæpe exitium celeri vel lenta morte afferunt, mente prorsus incolumi & virus plane non conscia. Deinde bruta carent tali anima, & tamen venenis interimuntur. Imo si ea sensu & anima cognoscente vel maximè pollerent, affici hæc omnino nequiret, nisi per corpus, in quo ipsa inhabitat: adeo ut certum constitutumque maneat virulenta primitus animalium partes solidas, deinde spiritus & humores, invadere atque lethare; denique si superaverint, vitam omnem penitus profligare aut extinguere. Sed de venenis hæc obiter & tanquam per compendium. Tralliani abs te emendati illustratique specimen, cujus mentionem literæ tuæ fecerunt, videre gestio; nec tamen scio an aliqua spes sit illud obtinendi, antequam illustris Wepferus à longinquo itinere revertitur. Fortassis autem desiderii diuturnitatem expectationemque meam postea pensabunt momenta rerum, quæ pertractas, si commentario isto tandem aliquando fuero potitus. At benè coeptum opus maturare ac perficere teneris, ut nobis & publico bono satisfacias. Cæterum ad me quod attinet nunc plane

plane

plane in literarum studiis non sum, & tamen studeo. Conversor autem cum amasia mea festivissima ac insignium rivalium votis expetita. Sic tempus una jucunde utiliterque fallimus. Ob id de cordis motu mirabilia quaedam & ludicra conscripsi, quæ tibi dedico, ut videas quanti amicitiam tuam æstimem. Faceta enim res sit licet, tamen admirationem meditationemque oppido mereatur. Perlustrabis ergo totum schediasma, & si vacat judicium tuum vel censuram addes. Utcunque res ceciderit, visum est mihi id parergis aliis meis adstruere, si modo non detrectas præfigi nomen tuum, quod semper magni putavi. Rogo tandem ut quod sentis libere dicas: nam uterque cupit esse philosophus.

Dabam Scaphusæ d. 8. Febr. 1681.

EXERCITATIO XLIII,

*De motu cordis, hujus structurâ
& resuscitatione.*

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

INter blanda consortia & jucundas facetias, mirum ne pulcherrimos ingenii tui enasci foetus? & suave corculum nocturnis lucubrationibus vehementer fatigatum, in novos saltus exurgere? Amor certè plurimorum fecunda mater est, scitque erudita mens hujus fervo.

fervorem ingeniosis meletematibus temperare: Nuper de *pancreate*, jam de *cordis motu*, viscere longè nobilissimo egregiè philosopharis: Ego sanè vehementer cuperem, ut aliquid ex nostro nomine, quod adjici petis, honoris ducere valeres: Tute rem nostram cum nôris, judicabis facilè, num laudis vel vituperii magis illinc sis naçturus: Ages hinc pro tuâ dexteritate & affectu nobis satis comprobato, *corq;* tuum coram erudito orbe tripudiare jubebis: Equidem quid de ejus *motu* sentiamus, ex schol. Exam. Anat. Cochl. subnexis satis videre est: confirmârunt sententiam experimenta abhinc facta complura: In ciconiâ veneno enectâ, horâ post aëre per arteriam aortam injecto, cor in novos pulsus excitavimus: Motum hunc magis evidenter vidimus aliquoties in Cunic. Brasil. aliquot post strangulationem horis: Aliam, licèt diligenter ruminati fuerimus, causam indagare non potuimus, quàm spiritus animalis ope substantiæ nitro-aëreæ in fibris cardiacis resuscitationem: Et quid de cochleis meis dicendum, quarum frustulatim ferè discissorum corcula, multo post tempore aëre per arteriam infuso motus ingeminare vidimus sæpius? Meminimus quoque, demonstrante ante plusculos annos, Excell. *Glasero* p. m. generationem pulli ex ovo, punctum saliens emortuum, prunâ suppositâ resuscitatum fuisse: Ast! quis heic sanæ mentis, ani-

mam

mam aliquam seu *sensitivam*, seu *vegetivã*,
 non quoad essentiam sed quoad dependen-
 tiam materialem, uti nonnulli philosophan-
 tur, reliquam accusaret? Oportebit ut talis
 nondum omnino redierit in potentiam ma-
 teriæ, ex quâ multo cum labore fuit educta,
 eum tamen animali mortuo, hoc ut fiat ilicò,
 necessum sit, imo mors ipsa per reditum
 hunc accersatur: Vita in sanguinis motu ver-
 sus singulas partes consistit, cui in brutis spi-
 ritus nitro aëreus accedit, vitam nobiliorem
 efficiens, de quibus autem ubi argumenta
Willisiana, ad quæ olim uterque nostrum
 provocavit, excusserimus aliquando prolixius
 sententiã nostram dicemus, animus enim est
 c. t. scriptorum nostrorũ mutuum, quæ So-
 boli *Asclepiadee* non injucunda fore confido,
 feriem quandam selectam, Eruditorum cen-
 suræ committere, quorum numerum facerent
 aliquem, quæ de *vita & sensu brutorum*, quâ
 discussimus quâ autem fortunante Numine ulte-
 rius discutiemus: Id animum agitavit jam sæ-
 pius, quod Hippocr. l. *πεὶ καρδίας*, inquit: *Γνώμη*
γὰρ ἡ ἔνθ' ἀνθρώπου πέφυκεν ἐν τῇ λαιῇ κοιλίῃ, καὶ ἄρχεται
τῆς ἄλλης ψυχῆς· τρέφεται δὲ σιτίοισιν ἔδῃ ποιοῖσιν ἀπὸ
τῆς νηδύος, ἀλλὰ καθαρῇ καὶ φωτεινῇ πεισίστη γε-
γονήῃ ἐκ τῆς διακρίσεως τοῦ αἵματος. Mentem
 sinistro cordis ventriculo includere absur-
 dum: absurdus adhuc asserere, sanguine il-
 lam nutriri: Non crediderim *Coi* hanc fuisse
 opinionem, sed de animabus aliis heic lo-
 qui:

qui:

qui: Magnam quoque asserto huic nostro lucem allatum iri puto, per cordis structuræ delineationem, quam te feliciter rimatum fuisse, probè recordamur: fibrarum sane musculosarum & spiraliū multiplex series, versustendinē quæ pergunt omnes, in cordibus elixatis maximè conspicua, qualis machinæ hujus motus sit, docet evidenter, ut frustra sint omnino, qui, quod in potestate nostrâ situs *ille* non est, *vitalem* esse contendunt, ac si hæc regula esset infallibilis, vel æternæ veritatis, id saltem quod motu voluntario, inque nostro posito dominio movetur, *animali* moveri: Spirituum ab influxu & ὀρμῆν cum musculorum motus dependeat magnâ ex parte, quis non videt ilicò, *Musculi* illam definitionem universaliter veram non esse, quotiescunque enim, nobis etiam nolentibus, musculi unius alteriusve partis motitantur, ut Cl. *Willisi* distinctionem notam de *nervis ex cerebello* prodeuntibus spiritibusque in ipsos illinc influentibus, sicco jam pede præteream: Coeterū judicium tuum de transmissio specimine *Tralliano* avidè desidero, utpote quod semper decenti in pretio habui: Propediem quoque in tardâ, quæ ulterius animadvertērim, significabo, ut qui cum prioribus conveniant vel differant ab iisdem, melius eruere queas. Vale.

Dab. Bas. d. II. Febr. 1681.

JOH.

JOH. JACOBI HARDERI
Basil.

SPECIMEN
ALEXANDRI TRALLIANI
ILLUSTRATI.

TEXTUS GRÆCUS.

Περὶ ἀλωπεκίας. α.

Ἡ (α) Ἀλωπεκία πάθος ἐστὶ, (β) τριχῶν μά-
δισις· ὅσα ἐκ μιᾶς ἢ αἰτίας, ἀλλ' ἐκ διαφό-
ρων καὶ ποικίλων ἔχει τινὲς ἡμέσιν. Γίνεται γὰρ καὶ διὰ
φλέγμα θερμανθέν, καὶ τραπὲν εἰς ἀλμυρὰν ποιό-
τητα, καὶ διὰ χολικὴν, καὶ μελαγχολικὸν χυμὸν. Σκο-
πεῖν ἔν χρῆ καὶ διαγνώσκειν τὸ ποιεῖν αἴτιον τὸ πάθος,
καὶ ἕτως ὅπῃ τινὲς θεραπείαν ἔρχεται.

Διάγνωσις.

Διαγνώσκειν ἔν χρῆ τὸ ποιεῖσθαι αἰτία ἐκ τῆς χροῖας
τῆς τριχῶν· αἱ μὲν γὰρ ξανθαὶ χολώδη πλεονάζουσαι
ἐνδείκνυται κακοχυμίαν, αἱ ἢ μέλαιναί, τὸν μελαγ-
χολικὸν χυμὸν, αἱ ἢ λευκαὶ τὸ φλέγμα, ἕτω μὲν ἔν
ἐστὶ διακρίνειν ποῖα πλεονάσασθαι, περὶ τῶμαί, καὶ
γένουσι τὸ πάθος περὶ τινὲς κεφαλῆν.

Θεραπεία

Θεραπεία.

Θεραπείην ἐν χεῖ τῷ ἢ τῷ τρόπῳ· εἰ μὲν ἡ πλεονάζουσα κακοχυμία τύχη πολλὴ ἔσται, περιδιατήσας καλῶς, κάθαρρον τὴν πλεονάζοντα χυμὸν. Εἰ ἢ ὀλίγη τις εἴη, ἀρκέσουσι πρὸς θεραπείαν οἱ ἀποφλεγματισμοὶ, ἔτα μερικὰ μόνον βοηθήματα.

Versio Vetus Andernac.

De Alopecia Cap. I.

Alopecia vitium est, quo capillis fluentibus caput nudatur ac glabrescit: non autem ex unâ, sed variâ & multiplici causâ trahit originem. Quippe tum ex pituitâ calefactâ, ac in falsam qualitatem conversâ, tum ex bile & humore melancholico nascitur: Efficiens igitur affectus causa considerari, & internosci: atque ita tandem curatio ipsius tentari admoverique debet.

NOTÆ.

Causa vitii efficiens ex pilorum colore internoscitur. Etenim flavi, biliosam humorum vitiositatem superare indicant: nigri, humorem

Versio Nova.

De Alopecia Cap. I.

Alopecia affectus est in quo capilli defluunt: non autem ex unâ, sed ex differentiis & multi variis causis originem habet: Etenim & propter (a) pituitam calefactam, inq; falsam qualitatem conversam, & propter bilem & melancholicum succum generatur: (b) Considerare proin oportet & dignoscere, cuinam causa effectus, hic sua debeat natalitia, atq; hinc demum ad curationem devenire.

Signa dignostica causarum.

Qualis sit causa efficiens (c) ex pilorum colore dignoscendū est; flavus enim cacochymiæ bilosæ indicium est; niger melancholicū succum abundare ostendit, & albus,

melancholicum: albi pituitam. Sic igitur discernere licet, quo recremento superante vitium in capite provenerit.

Curatio.

Curare igitur hoc modo convenit: Humorem vitiosum, siquidem copiosus superet, expurgato, bona prius victus ratione usus. Paucior si extiterit, medicamenta quæ salivam movent, ἄπο φλεγματισμῶν Græci appellant, & sola præsidia quæ partibus inducuntur sufficient.

albus, pituitam, atq; ita quale excrementum prædominans, hunc in capite affectum produxerit, dijudicare licebit.

Cura per victum & pharmaciam.

Cura itaq; hoc modo instituenda: (d) si humores vitiosi magnâ copiâ redundant, (e) institutâ prius rectâ victus ratione, illorum nimietas vacuanda est: (f) Si verò pauciores extiterint, sufficiet uti (g) apophlegmatismis & (h) remediis particularibus.

SCHOLIA ad CAP. I.

(α) Ἀλωπεκία) ὡς τῆς ἀλώπεκος, Vulpe animali huic vitio multum obnoxio; unde & proverbio, *Vulpes pilos, non mores mutat*, dicitur. Hippocr. περὶ παιδῶν par. 35. ἀλώπεκες, quæ Celso *areæ* dicuntur, ab ὀφιάσει in hoc distincte, quod in illâ pili *serpentis* figurâ æmulentur, quamvis *Author* (α) duos hos affectus multum distinguere non videtur, cum in utroque capilli areatim depluant:

Celsus etiam de *areis*, ophiasis & alopeciâ eodem capite agit, nec abs re, cum vel tantum ratione figuræ differant, quæ speciem non variat, unde *Aët.* tetrabibl. 2. Serm. 2. c. 55.

Q

Unum

Unum quidem amba sc. alopec. & ophias. secund. morbos. affectionem malum, nomina juxta figuram habentes diversa. Eundem in modum Æginet. cap. 1. lib. 3. Avicenna l. 4. fen. 7. fract. 1. cap. 5. aliique. Holerius pueris familiarem ophiafin, alopeciam autem adultis magis accidere ait, Periach 1. ad l. Gal. de comp. med. cujus rationem, si quã conjecturari licet, ex majori humorum in adultis acrimoniã, unde radices pilorum eroduntur, quispiam depromere posset.

(6) Τειχῶν μάδισις) capillorum defluvium ἀπὸ τῆς μάδίζου, depilem reddo: sic Hippocr. lib. 2. πρὸς γυναῖκ. καὶ τὴν μάδισιν. Si verò calva facta fuerit sc. mulier, adeò ut non qualiscunque heic capillorum deperditio, sed talis ex quã glabri & calvi redduntur, intelligenda veniat: Eod. vocabulo simpliciter utitur ἐπιδημ. l. 6. sect. 6. οἷον καὶ τὸ τῆς δεξιπῶς μετὰ μάδισιν. & sect. 6. aph. 4. τὰ περιμάδισις ἕλκη, ulcera circumglabra, κακοήθεια appellat: Theophr. de caus. plant. l. 5. cap. 12. plantis quoque vitium hoc accenset, quando nempe scabiosæ fiunt, & cortice exteriori denudantur: neque enim illam depilationem nude intelligi autumamus; ad quam Poët. Οὐυεν. tropice alludit in Epigr. ad senem.

Arboribus redeunt crines, & gramina campis,

At capiti frondes non rediere tuo.

(a) Propter pituitam calefact & bilem &c. genera-

nera-

neratur,) Gal. l. i. de comp. medic. f. loc. scite
 admodum: καθάπερ τῶν φυτῶν ἔνια μὲν ὑγρό-
 τητῶ ἐνδεία ἀφθείρε) ξηραίνονται, τινὰ δὲ ὑ-
 γροῖς ἀλλοτριῖσι τῶ ἑαυτῶν φύσιτῶ ὁμιλῶντα; τὸν
 αὐτὸν τρόπον ἢ τρεῖς τριζίν, ἢτοι δὲ ἐνδείαν ὑγρῶν,
 ὑφ' ὧν τρέφεται πεφυκασιν, ἢ ἀφθὸ φαυλότητα
 φθείρεται συμβαίνει, ἢ μὲν ἀφθὸ μοχθηρίαν χυμῶν ἀ-
 λωπεκίατε ἢ ὀφίασις γίνετ). Avicenna. loc. f. cit.
 Causam alopeciae dicit esse materiam malam
 manentem in cute, in originibus radicum pi-
 lorum, quas corrodat & corrumpat, esseque
 vel cholericam vel phlegmat. &c. Et haec-
 nus quidem appositè satis, cum & salia lixiva
 & acida acridinem adeptam, quibus bilis & suc-
 cus melancholicus. Vet. respondent, materiam
 pilorum corrumpere, imò ipsam & eorum
 radices extirpare potis sint; hinc Clariss. Sylv.
 tract. de lue venerea, capillorum defluvium
 in hoc affectu ab acido acriori & corrupto de-
 ducit:

Pituita calefacta, &c.) seu serum nimis sa-
 linum itidem rodentem naturam acquirit
 redditur a. tale, dum vigente sanguinis inte-
 stino motu partes salinae ei copiosius inco-
 quantur. Adhuc magis hujus mali causa pate-
 fiet, si materiam capillorum rimari placue-
 rit, quam Cous describit l. de princip. & car-
 nib. par. XV. Ἄι δὲ τείχεσ φύονται ὡδὲ; ὀσεία
 εἰσι, ἢ ἐγκέφαλῶ, ἀφ' ὧν ἡ τοιαύτη αὐξήσις, ὅτε
 τὰ πείριξ κολλῶδὲτ. τάχα δὲ θαυμάσειεν αἷ τις,
 ὅτε, ἢ ἐν τῆσι μακάλησι, ἢ ἐν τῶ ἐπισείῳ τείχεσ

πολλὰ καὶ ἐν τῷ σώματι παντὶ εἰσιν, οἷσιν ἔτι ὁ λέ-
 γει πρὸς τέρας. ὅπως τυγχάνει τὰ σώματα τὸ κελ-
 λῶδες ὄν, ἐν ταῦθα αἱ τρίχες γίνονται ὑπὸ τῆς θερ-
 μῆς. Confirmat hunc subtiliss. Cardan. lib. XII.
 de hominis naturâ. Itaq; nihil sine ratione fa-
 ctum est, cum calor sit ille, qui pilos evocat;
 hoc vero oleum sc. Mercurii tenuissimum est &
 calidum non parum.

Est proin pingue glutinosum, sc. quod
 sulfureum est modicè & salinum pilorum
 materia & nutrimentum: *Glutinosum* esse o-
 portuit, ut firmiores juxta ponerentur capil-
 lis radices, hinc diffuente præ nimia tenuita-
 te materiâ, poris relaxatis excidunt pili: hanc
 ipsam glutinositatem particulæ salinæ juvant
 quas in esse sal volatile ex capillis haud diffi-
 culter elici solitum abunde probat; calorem
 rarefaciendo vias magis adaperire credide-
 runt Vet. cui non incommode materiæ con-
 tinuò appellentis & pororum proportiona-
 tam dispositionem quis junxerit: Apage er-
 gò cum halitu, cujus crassioribus excremen-
 tis, naturam ad pilorum alimentum præci-
 puè abuti Gal. statuit lib. XI. de us. part. Na-
 turæ providentia in efformandis artificiosè
 pilis admiranda magis, quàm ut halitibus
 nescio quibus abuti dici mereatur.

(b) *Considerare oportet & dignoscere.* Quan-
 ta sit Methodi semioticæ utilitas & necessitas,
 vel tritum illud, *Ignoti nulla est curatio mor-
 bi*, aperit: Medicum certè nihil est quod ma-
 gis ad-

gis adjuvet hâc ipsâ, utpote cujus ope, in morborum & caularum cognitionem devenit, novitque quî, quid & ubi singula agere oporteat: nihil etiam quod eidem majorem auctoritatem & fidem apud Ægrotos & ad stantes conciliet, cùm non modo de præsentibus ope signorum fide digne differere, sed etiam quæ eveniant prudenter & circumspectè prædicere queat, quod *Hippocr.* ab init. *περὴν*. innuit, dum ita: Τὸν ἰητρὸν δοκέει μοι ἄριστον πρὸ νοίων ἐπιτηδεύειν: περὴν ἰατρῶν γὰρ ἢ περὴν λέγων παρὰ τοῖσι νοσέσσι τὰ δὲ παρὲντα, ἢ τὰ περὴν γενοῦντα ἢ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι: ὅσοι δὲ πρὸ ἀλείψων οἱ ἀθενέοντες ἐκδιηγόμενοι, πιστεύοντ' ἂν μᾶλλον γνώσκων τὰ τῶν νοσεόντων πρήγματα, ὡς εὖ τολμᾶν ἀνθρώπος ἐπιτρέπειν σφέας ἑαυτὸς τῷ ἰητρῷ.

(c) *Ex pilorum colore dignoscendum est, &c.*
 Signa in variâ sunt differentiâ, quædam affectum evidenter ita loquendo ostendunt, quædam verò minus evidentiâ sunt, vel certa, adeò ut nisi aliorum accedat consortium, minus infallibiliter ex iis argumentari liceat.

Color faciei vel etiam totius apud *Vet.* de internâ mixti constitutione, atque unius vel alterius humoris prædominio splendide testantur: neque inficiandum ex colore quandoque juxta aliorum signorum concursum argumenta depromi posse; ast huic unicè vel tanquam infallibili inniti, absonum cùm difficile sit humores secundùm eas *qualita-*

tes, quas Vet. iis attribuerunt, demonstrare:
(vide *Prodr. nost. Physiol.*)

Vel capillorum variegatos *colores* in exemplum sistimus, quos nunc bili, nunc pituitæ, nunc alii humori luxurianti tanquam, (vid. *Gal. l. s. cit. Aët. Avic.*) sobolem genuinam adscribere soliti sunt: ac si materia *pilorum* nutritia nunc magis albescat, nunc magis nigrescat vel fulca aut flava sit: Manet hæc *eadem* semper, & non nisi pro variâ partium superficialium in variis corporibus dispositione, à quâ radij à corpore luminoso emissi variè modificantur, diversos colores in mente nostrâ producere potis est: Equidem *Riol.* illustre quondam schol. Paris. decus, *pilorum* colores omnes ex *Aristot l. d. color: & l. 5.* de generatione animalium demonstrare & explicare satagit: *Dissert. d. pilis*: aut an satis distinctè, meritò dubitamus? cùm genuinam colorum naturam obscurius tradiderit *Arist.* Magis arrident & demonstrativa sunt, quæ *Nobiliss. Cartes. & Illustriss. Boyl.* tract. de *coloribus* erudito orbi tradiderunt: *Superficies* inquit hic *corpori quod album dicitur innumeris quasi superfici eculis asperatur, quæ cùm specularis sint nature, eum insuper in modum sunt posita, ut aliis hac aliis illac spectantibus, radios tamen lucis in eas incidentes, non versus se invicem sed extrorsum versus oculum spectatoris reflectant, adeo ut corpus album tali gaudeat partium dispositione, quâ plus lucis in id*

inci-

incidentis, ab eo reflectitur, quam à corporibus aliter coloratis, contra in *corpore nigro* ea particularum superficialium sit textura, quâ lux in id incidens, quasi extinguitur & suffocatur: hinc Coeruleum, quod proximè ad naturam nigri accedit, radios quidem reflectit, sed paucos tantum: Pro diversitate itaque texturæ partium superficialium capillorum, varios quoque colores pullulare possunt, albi, nigri, &c. citra præsagium evidens *pituitæ* vel *bilis* cuiuspiam abundantis.

(d) *Si humores vitiosi magnâ copiâ redundant:*) Indicantium tacitè his mentionem iniicit, ad quæ in omni curâ probe attendendum: Indicant autem humores sive ut *causa continens* sive *antecedens* spectentur, sui vacationem, unde Gal.d.l. ὥστε ἢ καθάρσει πρῶτον ἐπ' αὐτῶν ἐργάσει τῶ πάντος σώματι ἢ τοι φλέγματι ἢ ἀγωγὸν εἰς φάρμακον, ἢ χολῆς ἢ χρῆσι, &c. unde primum etiam purgationem totius corporis in ipsis administrabis, exhibendo medicamentum quod vel pituitam, vel bilem educat: & paulò post εἴπερ ἐν ἐπί τῆς κακοχυμίας καθ' ἓνα τῶν ἢ θροισμένη, σκοπῶ εἶσαι τῆς ἰάσεως ἢ κένωσις ταύτης. *Si igitur cacochymia in unâ vel aliâ parte singulariter fuerit aggesta sanatio per huius vacationem obtinebitur.*

(e) *Institutâ rectâ victus ratione purgato,*) Fontes innuuntur duo, quibus indicationibus satisficit, *pharmaceuticus* nempe & *diæticus*, quod autem bonam victus rationem

prius instituendam inculcat, bene facit, si-
quidem vel hâc ipsâ humorum correctioni
& imminutioni studemus: hinc Hippocr. abi-
nit, aphor. καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τὰς παρεόντας, καὶ τὰ
ἐξωθεν, ut ad ea, quæ agenda sunt, promptos
se exhibeant, severè monet, Avicenn. etiam
intromissionem ciborum boni chymi in cor-
pus primario commendat.

(γ) Χυμός) cōmuni appellatione omnem
humorem coctione in crassatum significat, si-
ve jam corpori nutriendo commodi & ido-
nei, boni sive mali fuerint, ceterùm ὡσαύτῃ
χεῖρα, fluendo dicti.

(f) *Si pauciores exstiterint.*) Non ea sem-
per est humorum acriorum copia, purgantia
quæ desideret: Prudentem itaque oportet es-
se Medicum, καὶ πάντα περιεξευκλεμένηα πρῖεν,
neque ægroto citra necessitatem incommoda
faceffere.

*Temporibus Medicina valet, data tempo-
re possunt,*

Et data non apto tempore vina nocent.

(g) *Apophlegmatismis*) dictis ἀπὸ τῆ ἀπο-
φλεγματίζεν quod pituitam per os ex capite
vel ex thorace educunt, Gal. l. 6. de sanit. tu-
end. cap. X. aliis *salivantia* vocantur, quod
serum sive coagulatum, (pituitam viscidam)
sive fluidum ex partib. glandulosis evocant:
Sunt autem vel fortiora, & ex tota massâ san-
guineâ serum falsum ad os proliciunt, vel
mitiora, & ex glandulis tantum stomaticis,
aliis.

aliisque vicinis, humores serosos vel fundendo & incidendo, vel poros occlusos aperiendo, salivam eliciunt, atque hæc potissimum ab Authore heic intelliguntur, Avicen. *caput purgia* dicta, aliquib. *masticatoria*, ab usu: videantur, quæ de his *Wedelius*, Amicus nost. honoratiss. tract. eruditiss. de Med. facult. inferuit: Id notandum quod Gal. l.c. post evacuationem totius corporis apophlegmatismis uti jubet & localib. præsiidiis; haud dubiè quod universalibus præmissis, particularia feliciori effectu ut plurimum potiri credidit.

(h) *Remediis particularib.*) Quæ partibus affectis induci solent *Andern*. Gal. *τοπικὰ βοήθηματά* loco sæpius cit. nominat, atq; ab his dependet, inscriptio librorum *τῶν καὶ τοπικῶν*, quòd affectis corporis partib. convenientia remedia adhibeant, eorumque usum profiteantur, annot. *Foës.* œcon. Hippocr. Similiter & Hippocr. *περὶ τῶν τοπικῶν καὶ ἀνθρώπων*, scripsit, ubi singularum partium affectus & medicamina vicissim excutit.

EXERCITATIO XLIV.

*Eruditorum in Helvetia societas
exoptata. Anima brutorum.*

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

E literis tuis admodum jucundis perspexi
vigere amorem erga me tuum, & probari
Qs studia

studia mea, quæ tamen sentio quam sint ex-
 igua. Quæ autem de cordis emortui resusci-
 tatione tu observasti, literis consignata, sche-
 diaſmati meo adjiciam, tibi que dedicabo; si-
 quidem non displicere affirmes, atque præ-
 terea in animum induxerim præcipuis amicis
 meis absentibus Carolo Sponio Lugdunæo,
 Theophilo Boneto Genevensi, Johanni de
 Muralto Tigurino, ejusmodi monumentum
 singulis seorsim erigere, quod extare publice
 legique mereatur. De cætero ad excitanda
 ingenia augendamque diligentiam pluri-
 mum hoc conduceret, si principes medici at-
 que philosophi in Helvetia conspirantes jun-
 ctis viribus aliquando societatem inirent, &
 aliarum nationum laudabili more exstimula-
 ti acta sua quotannis ederent. Profectò Hel-
 vetia nostra, quantumvis parva & abjecta es-
 se videatur, abunde tamen suppeditabit scru-
 tantibus ad scribenda volumina laude memo-
 riaque dignissima; nec deerit occasio posteris,
 vel (ut Plinii verbis pressè utar) natis post
 mille sæcula, semper aliquid adjiciendi. U-
 tile mehercules institutum ac præclarum fo-
 ret, sed ut ex voto succedat oprandum ma-
 gis quam sperandum est. Interim nos pro
 virili parte præstamus quæ possumus: scio
 enim quanto ardore & quanta animi conten-
 tione enitatur industria tua, ad edendum præ-
 clara facinora. Ipse etiam plura ædepol ul-
 tro perficerem, si plura Mecœnates. Sed
 hæc

hæc velut in transcurso. Quid de anima brutorum sentiam nosti probe, nec opus est ut te pluribus edoceam. Igitur verbo repetam quod sentio: Brutorum anima materialis seu corporea est, & consistit in spiritu animali & sanguine, quibus benè se habentibus & machinam corporis rite agitantibus animal vivere & valere dicitur. Jam utrum bruta sensu polleant nec ne quæstio per facile deciditur, si mediteris quid sit sensus, & num aliquid sentire sit proprietas corporeæ substantiæ. Nihil equidem evidentius fore attendenti reputo, quàm ad sentiendum necessario requiri cognitionem atque iudicium, & per consequens mentem; quippe quæ sola capax existit. Errant qui pro sensu & cognitione brutorum tanquam pro aris & focis militant, quod inter alios tam perspicue solideque singulari libro demonstrasse mihi videtur Antonius Grandis, haut in celebris hujus ævi philosophus, ut negem eum à quoquam efficaciter refutari posse. Quod restat epistolas meas quascunque privatim ad te scribas per me divulgare omnino poteris, siquidem utilitatis aliquid in alios imò in universos, inde redundare posse judicas. Privatarum namque actionum nostrarum & familiarium exercitiorum scopus ferme est commune emolumentum, suntque talia illa quorum nos nec pudet nec pœnitet unquam. Rogo autem enixe ut quæcunque de meis scriptis edi cupis mihi prius relegenda tra-

tra-

tradas, antequam imprimuntur, ne quid imperfecti aut supervacanei inhæreat. Quo enim scribimus delicatum est & palati exquisiti seculum. De commentario in Trallianum judicabo, ubi specimen tuum nactus fuero. Observationes demum posteriores tuæ è tarda ut faustis avibus ad nos quoque advolent tuque valeas cura.

Dab. Scaphusie d. 15. Febr. 1681.

EXERCITATIO XLIV.

*Acad. Nat. Curiosor. Tardæ
interanea.*

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

ETiam rudia mea alicujus abs Te fieri, non citra gaudium ex ultimis tuis intellexi: O quantopere gestit animus exasciata tua aliquando videre! cùm scriptis nostris ita agam, ut & Nominis incremento utriusque, & publici commodo studuisse dici queam, quò multùm faceret utique Societas communis inter aliquot ex nostro numero instituenda, de quâ olim pluribus coràm nos fabulatos esse memini: Dicit certè nequit, quantâ cum utilitate alibi hujuscemodi Academia vigeant & conserventur in Rei Medicæ splendorem & augmentum illustre unicè institutæ. Utinam voti ac desiderii compotes & nos aliquan-

quan-

quando reddamur , lubens sanè à me quæ proficisci possunt , eò destinarem , patriaque dignum civem me præstarem : ast ! tecum vereor , ut in auras hæc nostra vota abeant , consumamurque prius ambo , quam illa auspiciatò expleta videamus. Aliorum interea consortio Clarissimo jungi solatio sit & honori plurimo , quod mihi ecquidem contigit ab Illust. Societat. Naturæ Curiosorum in Germaniâ , cujus Præses Amplissimus per Excell. FRANCUM , Virum de bonis omnibus bene merentem , diploma misit solenne , meque præter meritum albo Excell. D.D. Collegarum inscriptum , splendido *Pæonis* cognomine insignivit : Illud jam optârim unicè , ut iis pollerem viribus , quæ functioni isti sufficiant , & expectationi Viror. Clarissimor. satisfaciant , eò enim potissimum anniti constitui , ut nec ipsos benevolentia exhibita , nec me laboris impensi unquam pœnitere queat. Cæterùm in Tardæ maris ultimâ Anatome , cujus copiam mihi liberaliter fecit Venerand. D. Socer meus , interanea pari industriâ denuò lustravi , ubi *primùm* ingluviem membraneam ac fibrosam , unciis circiter tribus ab ore distantem , cum œsophago oblongo latoque ac intus plicis robustis , mucò obductis , (qui copiosè etiam interstitia oblinebat ,) munito rimatus sum exactiùs , videbantur sub mucò hoc glandulæ minutæ emicare : *hinc* Ventriculum , præcujus orificio superiori corpus tubulosum

losum

sum amplissimum jacet, contemplatus sum; Erat autem hic structuræ ratione nupero similis, nisi quod intus protuberantias quasdam osculares animadverti insuper, quæ pressæ serum modicè stillabant: Tunica quoque carnosâ in conspectum se dedit meliùs cum suis fibris, quas eâ præprimis parte quâ pylorus est, evidenter discernere licuit: cæterùm brassicâ totus erat refertus, citra ullam lapillorum seriem, quam tamen necessariam existimabunt omnes, qui lapillis ingesta melius ac facilius atteri attentius considerabunt: Intestina tenuia itidem glandulosa fuerunt, imprimis autem ileon, quod circa terminationem sui, glandulis secundum longitudinem lineatim dispositis ornatur: *Appendices*, quarum nuper etiam memini, unâ cum hoc circa initium intestini crassi, quod totum glandulosum est, finiunt valvulis convenientibus utrinque appositis. Id tamen discriminis *has* inter esse arbitror, quod *illa* quidem longa satis & ampla, intusque retiformis, è tenuibus intestinis suborta videtur; *hæc* verò sub initium intestini crassi, exordio pariter amplo, longoque ad usque initia *illius* pergit, opeque mesenterii intestino tenui connectitur adeò, ut primo intuitu ex hoc ipso prodiisse auguratus sim, quamvis facies hujus interna circa exortum foliacea magis sit, quam reticularis. De hepate, testibus, Renibusque, &c. quæ ulterio-

ora

ora habeo, è nostris collectaneis aliquando depromere poterunt Curiosi. Tu ista boni consule & Vale.

Dab. Basil. d. 18. Febr. 1681.

EXERCITATIO XLV.

Otidis seu tardæ exta. Gratulatio.

Pæon redivivus.

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

Grate accepi quæ de otide porro mecum communicavisti observata tua. Jonstonus hist. nat. avium lib. II, tit. I, cap. I, artic. VI, de tardæ interaneis ex Gesnero hæc notat, à tuis annotationibus non multum discrepantia: *Ventriculum habet magnum, in quo interdum calculi albi inveniuntur; in extrema gula ante stomachum partem capaciore, ex multis rotundis carunculis compactam. Intestinis ductis & extensis id quòd à fundo ventriculi ad alvum recta procedit, dodrantum est septem cum dimidio: appendices verò duæ ab alvo retrocedunt, quarum altera tenuior est, tres dodrantes longa, altera amplior, duos cum dimidio; tres vero isti meatus juxta alvum in unam capacitatem conveniunt. Cæterum ex gaudio & honore tuo inopinato, cujus me certiore fecisti, tantum quoque gaudii & honoris in me redundare sentio, ut ovans exultem. O quid optatius, vel genio tuo sagaci*

gaci dignius, quam te mature jam receptum esse in illustrem naturæ curiosorum Academi-
 am, quæ Deum autorem, Cæsarem patro-
 num, fautores viros illustres, nobiles & eru-
 ditos agnoscit; ubi non vanis idolis litatur,
 non arbitrio fallaci, non turpi otio malisve
 artibus, sed veritati & sapientiæ divinæ, sed
 rationis ac experientiæ solido cultui, sed uti-
 li ac honesto labori, sed voluptati decoræ,
 quam erudita mens perspecta veritate sum-
 mam concipit, denique optimarum artium
 & scientiarum perfectioni, ad quam adspira-
 re ac eniti debent mortales, cum ad id men-
 tem divinitus acceperint, hacque sola ratione
 sese immortales ac laude dignos præstare
 queant & prodesse proximo. In his ergo ca-
 stris gloriosum tibi erit præcedentes sequi,
 æmulari comites, sequentibus esse exemplo
 & cynosuræ, jugiterque ea moliri quæ pul-
 cerrimo nomini respondeant. Næ auguror
 videbit in te Pæonem redivivum inclyta cu-
 riosorum Academia, fovebit te Pæonem pa-
 tria Basilea, laudabit Helvetia, suspiciet or-
 bis, mirabitur mecum recoletque posteritas.

Semper honos, nomenque tuum, lau-
 desque manebunt.

Quod igitur felix faustumque sit, salve tu mi-
 hi medicorum decus. Pæon, ave delictum &
 animæ dimidium meæ: honoribus tuis cle-
 menter benedicat Deus maximus. Vigeat at-
 que perennet cæsarea Academia, Tu quoque

vive

vive diutissime, & Pæonias artes piè utiliter-
que exerce, donec exuta mortalitate beatorum
albo inscriptus, & consummatorum civitate
donatus, contempleris in æternum, non de-
nuo quidem curiosâ naturæ & artis opera, sed
naturam ipsam Deumque trium; non hu-
manæ mentis ac experientiæ dictamina, sed
fidei mysteria & oracula cœlestia, gaudioque
& deliciis sic perfruaris sempiternis ac ineffa-
bilibus. Vale.

Dabam Scaphusiæ d. 22. Febr. 1681.

EXERCITATIO XLV.

Gratiarum actio & invitatio.

Mole generatio.

JOH. CONRADO PEIER O

JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

DE Tuâ si dubitarem ego benevolentia, vel
amore fraterno, hesternas per jocum scri-
ptas fuisse crederem, cum nimius omnino sis
in nostrâ laude decantandâ, meritisque quæ
nulla sunt vel per exigua recensendis: at! a-
vertat Deus, pejora ut augurer, qui genium
Tuum novi & affectum infucatum exosculor,
Gratias potius actito maximas pro voto, in to-
tius nostræ Societatis honorem & salutem fu-
so, simulque vel statutorum nostrorum vi,
Te ipsum in *eandem* volo decenter invitatum.
Novit eruditus Orbis, Tuam in re Medicâ sci-
entiam multijugam, & in eruendis Naturæ
R myste-

mysteriis sagacitatem ac dexteritatem rarissimam, neque ipsum latet, quàm indefesso labore, vigorem nitoremque pristinum Arti nostræ reddere & conservare annitaris, habebit hinc Collegium nostrum de quo sibi gratuletur, atque Excellentiss. D.D. Collegæ lætis ulnis Te excipient: Tuum erit saltem aperitius mihi dicere, quid sentias, quò illud Illust. D. *Præsidi* significare, literasque solennes pro Te obtinere queam, quales Nobiliss. FRANCUS, Fautor honoratissimus, etiam mihi, ejusmodi quid non speranti transmisit: *Morni* erunt, scio, qui vel ambitionis minus honestæ me accusabunt, quam sanctè testor nunquam adfuisse, vel scepticè ridebunt, aut alitercunque Nomini officere satagent: aut hujusmodi inanes susurros, quid curarem? Generosæ mentis est, oggannientes sibi relinquere, & feliciter cœptis sedulò insistere: neque honorem me quæsivisse arbitror summo-pere, sed laborem, si vel legibus uti decet, satisfacere contendam. Quod si autem alii juniores, hujusmodi societati exornandæ, citra rationem se lubducunt, nullam ob causam aliam illud fieri existimo, quàm quòd intempestivâ modestiâ, vel desidiæ inhonestioris delitiis forsan seducuntur, sibi que ad istas minus otii super futurum arbitrantur: Fateor ego imbecillitatem meam lubens, neque de virium sufficientiâ glorior, id tamen agam semper, ut voluisse me agere, si nil aliud possim,

Curio-

Curiosi experiantur: Hac ipsâ de causâ de molarum generatione, exemplis illustratâ, nonnulla illis immolabo, ostensurus manifestè non *Seminis* utriusque Parentis *vitio*, quod quidem multi ac si minus foecunda essent perperam contendunt, eas prodire, sed ex *ovo*, quod convenienti motu foecundatum per vias patulas in uterum descendit, ibique succo nutritio jam fovèri ac sustentari cepit, omnimodâ autem sui perfectione aliâ de causâ defraudatur: quæ singula pleniora evadent, ubi generationem foetus in utero fieri ac absolvi solitam naturaliter, studiosiùs delibavero, siquidem monentibus Philosophis, contraria juxta se posita magis elucescunt, faciliusque dignoscuntur. Vale.

Dab. Bas. d. 25. Febr. 1681.

EXERCITATIO XLVI.

*Laudem ambire virtuosum. Vesicæ
urinariae ruptio funesta.*

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

PAUCIS multa mihi scribis, mi Hardere; sed non probo omnia. Laudem enim & honores legitimos aspernari aut rejicere oblatos omnino incongruum est, ambire decorum. Dicam ergo potius, & momo hercle tuo dixerim ut missum te faciat, te in omni vita actionibusque tuis omnino laudem & hono-

R 2

rem

rem quærere: quippe studes virtuti, eamque colis: at soli huic gloria debetur, cæteræ res ingloriæ sunt neque laudari merentur, etiam si maximi fiant ab aliis. Quamobrem jure tibi nemo id vitio unquam vertere potest quod præclarum naturæ Curiosorum sodalium ambiveris. Honoris etenim & virtutis officina hæc est, ubi conatum & laborem quantumvis maximum nullius pretii irritumque reputari censeo, si laude & honore careat. Potior namque labore honor est, quanquam hujus ille sit pararius & comes. Quapropter si & ego sapere velim non me decet invitationi tuæ humanissimæ morem non gerere, quin posthabitis omnibus difficultatibus eo annitar quo vocat virtus, quam mihi tota vita sequendam proposui. Difficultatum maxima est studiorum meorum immaturitas. Labores exantlandos, cum iis jam mihi videar affuetus, non reformido. Etenim *ἀνδρὶ καμάτις ἔσθ' ἐν πέλει ἀνδράσιν εὐπέτες ἔργον*. Nuperrime in xenodochio nostro juvenis sponsus, viginti tres annos præterpropter natus, ob lotii triduanam suppressionem intumescente abdomine cum maximo dolore & vomitu occubuit, cæteribus cæterisque remediis nihil proficientibus. Docuit post anatome vesicam in fundo disruptam ita hiasse, ut duos digitos rimæ immittere liceret, per quam lotium in abdomen effluxit. Quis autem casus aut

qua-

quale infortunium vesicæ tantam vim intulerit, ignoramus. Vale.

Dab. Scaphusia d. 1. Martii 1681.

EXERCITATIO XLVI.

*Vrinae incontinentia. Suppressio.
Vesicæ ruptura.*

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUSS. P. D.

Quid mihi gratius Tuis potuisset obtingere? quæ & solatio ac consilio plenæ, imò & auxilii ad suscipiendum labores mutuos promptitudine, quam vel ex hinc mihi certò polliceor, quod nuperæ invitationi locum haud difficilem concessisti: Curabo hinc Amicorum ope, ut solennibus Illustr. Dn. *Præsidis* potiaris propediem, quem quidem Tūmet obstringeres magnopere, si Eruditum aliquot *Schediasma*, cujuscemdi plura Te concinnasse novi, *Ephemeridibus* nostris inferendum transmitteres, quò Nominis Tui fama ulterius pateret omnibus: Ego ferè in animum induxi. *Admiranda Cochleæ Domiportæ*, ad curiosorum genium examinata, iisdem sacra facere, ut legum tenori qualitercunque satisfaciam: Venerandus *Sponius* desiderat Specimen *Trallianeum*, quo ut potiar citius Tu unicè efficere potises; certus enim sum *Celeberr. Wepferum*, quem jam *Durlaci* apud *Sereniss. Principem* degere audio, adeò

R 3

prom-

promptè vobis redditum non iri : Idem *Sponn*ius olim in eruditissimis suis ad me datis meminit, *incontinentia urinae* in quam incidit muliercula primipara, post partum laboriosissimum, sphincteris vesicae fibris divulsis aut laceratis, simulque qui repagulo aliquo in urethrae ostiolum tanquam epistomio intruso, affectui isti foedissimo juxta & molestissimo succurri queat sollicitus fuit: quale quidè remedium in fibrarum relaxatione, apud sexum sequiorem facilius locum habere posse crediderim, inutile futurum prorsus ubi eadem rupta fuerint: Vesicae ruptura infrequens esse mihi videtur, cum membranea sit & fortiter distendi apta: Frangit tamen vis externa & aquarum retentarum copia etiam hujus quandoque parietes: Aliàs ex diutina urinae retentione, eaque praeter morem, fibras sphincteris ita corrugatas fuisse, ut urinae dolorosa suppressio fuerit insecuta, experientia edoctus sum, cui malo catheterum & injectionum convenientium ope diligenter obviam ivi: in Epilepticorum quoque sectionibus, ubi partes membranæ & nerveæ immane quantum distenduntur, incipientium hujuscemodi rimarum nihil unquam apparuit; adeò Natura partes istas providè extruxit, ut tenues licet & ad sensum minus robustæ, nihilominus re sic hortante dilatari queant valdè, nec rumpantur ocyus, nisi enormis violentia accesserit, à quâ etiam partes
aliae,

aliæ, vesicæ similes, interdum dilacerantur, uti de gravidarum utero, foetu prægrandi existente, historiæ istud testantur. Vale.

Dab. Bas. d. 4. Mart. 1681.

EXERCITATIO XLVII.

Schediasma de generatione animalium. Hortatio ad rimandum curiosa Helvetia.

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

DEsiderio tuo satisfacere non possum, etiam si satisfacere desiderem. Qui sic inquis? Abest adhuc Wepferus, absunt & literæ ad illum tuæ, simulque cum his commentationis tuæ in Trallianum specimen: misit ista parenti filius, nec dubito quin & literas & specimen Durlacum transtulerit secum, quo utrumque per otium ibi ruminetur. Ne autem inanes sint literæ meæ hortatu tuo schediasma deproperavi ad illustres Naturæ Curiosos in Germania, ut esset instar supplementi eorum quæ de ortu & generatione animalium ad te Parisiis olim scripsi & tu in prodromo physiologiæ de humoribus imprimi curavisti: quamvis enim & alia in promptu nunc habeam luce & lectione aliorum haut penitus indigna, tamen ordinem eorum turbare nolui cum singula pridem suis sint dicata viris. Non libenter muto institutum semel bene cœptum bo-

R 4

nam-

namve sententiam. E' s'chediasmate igitur quod tibi arbitrioque tuo primitus trado facile perspicias ingenii & studiorum meorū exiguitatem quam semper fassus sum esse maximam. Operam tamen utique navabo, si hæc non displicere sensero, ut aliquando majora & utiliora prodam. Arbitrio demum tuo scriptum meum ideo trado, ut sociis tuis curiosis illud non tradas nisi quod tradatur dignum reputes. De cochleis libere tibi dicam argumentum mihi videri jam valde protritum, adeo ut plus gloriæ ac laudis sis reportaturus, si quo novo opere illustri societati curiosorum industriam tuam commendaveris: innumera sanè prostant in nostra Helvetia, multa quoque ager vester profert non minus curiosa quam memoratu digna, in quibus describendis operam optime & gloriose collocare poteris. Eo enim mecum annitaris velim ut semper aliquid præclari ac laude digni geramus. Quamobrem suadeo tibi sodes, imo hortor atque obtestor ne de cochleis vel limacibus denuo quidquam edere instituas, antequam & Listerum de hoc argumento perlegeris, & præterea cochlearum machinam crebris experimentis plane perspectam cognitamque habueris, ita ut ab industria humana nihil addi possit amplius. Vale.

Dab. Scaphusia d. 8. Martii 1681.

Ex-

EXERCITATIO XLVII.

De Cochleâ edendâ Cl. Wedelii consilium, Glandularum scirrhi in hydropicâ.

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

ERuditum Tuum Schediasma ad Illust. D. Præsidentem ocyus mitti curabo, plenè persuasum habens, multo cum applausu à Curiosis nostris illud acceptum iri: Cave interim, ut hoc in negotio quidquam me acturum suspiceris, Tuo quod honori vel tantillum obesse queat: De cochleâ quæ mones, amicâ mente accipio, & cùm jam plura, eaque Tibi, quem Autorem opusculi tunc editi præcipuum revereor etiamnum, consecrata publico prodiderim, alii quoque vel mecum vel post me de insecto eodem scripsisse ferantur, factum recentiore in clytæ Societati huic offerre jam decrevi, idque tantò libentius, quod gloriosum duco Tibi in omnibus socii ad instar jungi, quamvis viribus inferior sim, atque haud gravatim agnoscam, quæ Tuæ debeam dexteritati & amicitia: hæc ipsa Te impellet denuò, ut de materiâ exasciandâ mecum prudenter cogites, simulque operam, si cubi illâ indigero, mutuam ferre non detrectes. Non tamen eam Tibi mentem esse auguror, ut quæ ad *Cochlea* illustrationem &

R 5

aug-

augmentum ulterius faciunt, intra domesticos parietes sepulta maneant: Operæ insumptæ sanè multùm me poeniteret, neque etiam scio, annon defidiæ vel *αὐθαδείας* me accusare possent plures, si citra prægnantem causam addendorum editionem supprimerem: Audi, quæ Excell. *Wedelius* de his in hesternis suis: *Placet*, inquit, *propositum Tuum de ulteriori Cochleæ Examine: Malim tamen ut velut partem alteram mediteris edere, quàm primam auctiorem: Merentur Te interprete exponi amplius, ubere se offerente materiâ de coitu illarum & semine, &c.* Si ita edi curarem, existimationi meæ optimè forsan consultum foret: Tu per otium Viri hujus Amiciss. iudicium ruminata, & quid sentias identidem propediem expone. Nuper puellam secui hydropicam è cujus abdomine, incisus ex altero latere musculis abdominis, mensuras duas ichoris flavi & subfoetidi vacuavimus, dicitque nequit quàm insignes scirrhos variis in locis hoc in cadavere deprehenderim, quorum unus cavo hepatis arctè connectebatur, à parte inferiore pancreatis enatus, alter vero in medio circiter mesenterii hærebat, pugnum majorè magnitudine ad æquans, è quo incisione factâ prodiit substantia albicans, instar sebi concreti, porrò hujuscemodi glandulæ scirrhosæ & ex parte nigricantes secundum œsophagi & spinæ longitudinem locatæ plurimæ fuerunt, majusculæ & minusculæ, quas scrophulas internas

ternas

ternas si alii forte nominare velint, per me liberum erit: sufficit ad ichoris supra nominati cumulationem, istam glandularum scirrhositatem plurimum contribuuisse. Vale

Dab. Bas. d. II. Martij 1680.

EXERCITATIO XLVIII.

Novus stimulus ad edendas observationes. De salmonibus describendis consilium & adhortatio.

JOH. JACOBO HARDERO
JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

Quæ de cochleis nuper consului nequam eo dicta esse scias velim ac si extenuem labores tuos, quos semper magni aestimavi; sed mentem meam ad hunc scopum unice collimasse assevero, ut aliquid novi arduique moliaris, ex quo laus magna & perennis in te redundet. Aestimationis hercle multum tibi peperit domi portarum anatomæ, ut operæ te poenitere non debeat, & plus fane laudis eæ adhuc allaturæ sunt, si perfectius opus de iis edere coneris eo modo quem tibi dictat celeberrimus Wedelius. Veruntamen quia gloria hæc parta est, & quidquid ejus obtinendum restat, facili negotio totum consequi poteris, puto te operæ pretium magis esse facturum si pro inclyta academia naturæ curiosorum, cujus tu membrum creatus esse jure gloriaris, recentis ac illibati quid præpa-

præparares. Quod genus foret hecatombe aliqua, taurorum loco centenas observationes varias utiles & curiosas sistens, ad imitationem eruditorum præstantissimi Georgii Hieronymi Welschii, qui in eandem in qua nunc tu quoque versaris cæsaream societatem ascitus, Hecatosteas duas observationum egregiarum magna nominis sui gratia & fama ultra Nestoreos annos perennaturi, grate obtulit. Sed & insectorum scrutinium cum tantæ subtilitatis sit ut paucos afficiat vel tangat, abstrusum plane est atque reconditum. Quare apposite arbitrato meo faceres si de salmonibus historiam conscriberes, Rheni pisciū lautissimis & maximis, quorum copia apud vos magna est & captura frequens; structura autem seu fabrica partium admirabilis, præcipuè circa ventriculum & intestina. Nam appendicum multitudo, aliquando sexagesimum numerum excedens, mirum quantum miraculi fovet. Deinde etiam porus biliaris salmonibus valde angustus est, & ea parte qua intestino inseritur stringentibus fibris tam arcte occlusus, ut appareat magnâ vi & contentione opus esse ad bilem è vesicula in intestinum expellendam. Apparent quinetiam manifesto viæ per quas bilis ex hepate ad vesiculam defertur. Omitto innumera alia, quæ recenserem si vacaret. Sane id te exstimulet quod nec Gesnerus, nec Aldrovandus, nec Rondeletius, nec Jonstonus de salmonibus
omnia

omnia prodiderint, sed multa omiserint notatu & memoria dignissima. Ego hercle in merycologia mea aliquando ostendere conabor ruminacionem salmonibus haut competere, quam illis forte tribuendam esse putaverat Gesnerus. Attentionem ea quoque promerentur quæ de salmonum sexu in schediasmate tibi consecrato & parergis meis inserto nuper annotavi. Cæterum non est cur in tanta rerum curiosarum æquè ac admirandarum multitudine metuas, ne campum sis reperturus exercendæ sagacitati & industriæ tuæ patulum & adæquatum: nec opus habes me consultore, dummodo exspatiari velis atque genium tuum ipse consulere quid præ cæteris arrideat. Vale.

Dab. Scaphusie d. 15. Martii 1681.

EXERCITATIO XLVIII.

Salmonum, Truttorum, &c. in testina ceca: non sunt ruminacionis indicium.

JOH. CONRADO PEIERO

JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

GAudeo, Amicissime Vir, Te cum celeberr. HERCULE nostro idem sentire: cynosura mihi erit vestrum utriusque consilium, licet de vobis tanta meritis non sim, ut quod utile & gloriosum esse potest maximè, mihi tam benevolè suaderetis, pro quo favore

vore tantisper gratias habeo maximas, dum tempus oportunum nactus fuero, paria gratæ mentis officia aliquando præstandi: De *Hecatombe* aliquâ Colleg. nostro immolandâ, aut *Salmone* vario curiositatis sale consperfo, eidem offerendo, quæ hesternæ tuæ monuerunt, non possum non probare modò sufficientes mihi adessent vires: Videbo tamen quid humeri ferre possint. Vestigia Vel-schiana mirè prælucent, dignè ea calcaturis: *Salmones* carò veneunt, illorum nihilominus interanea hâc æstate lustrare animus est, & si illorum carnem meâ conditam industriâ primitiarum loco sistere nondum decreverim; majorem quoniam experimentorum seriem requirere videntur, quàm ut denu-data incomptius arenæ Eruditorum committantur, inprimis cum Viri cœtera Clariss. de hisce jejuniis scripserint: Servo etiamnum appendicum numerum aliquem Tuâ ex liberalitate, quas intestina cœca alii vocitant, probeque recordor materiæ alimentaris, quam hæ ipsæ reconditam monstrârunt: Hujuscemodi appendices vidi quoque, in *truttis* & *gobiis* sed pauciore numero, videnturque illæ pro animalis natatilis ratione numero variare, in *his* siquidem, si probè memini quatuor tantum, in *illis* vero sex evidenter demonstravi Clariss. D.D. *Haësbaertio*, mihi tum temporis socio: è quibus hoc præcipuè palam fieri arbitror, ex appendiculis istis, quibus e-

qui-

quidem copiosissimè Salmones instrui autopsiâ compertum habeo, argumentum pro-ruminatione eorundem depromi non posse, nî etiam aliis piscibus longè minoribus eandem actionem attribuere velimus, quod quàm ineptum foret, alii haud difficulter perspicient. Insectorum Anatomes curiosas observationibus inferere fas erit, ut alios ad ulteriorem operam impendendam stimulemus: Ege certò multum hujuscemodi festivitibus delector, & iisdem haud parum temporis contero, vel hoc unico contentus in minutissimi animalis fabricâ Dei omnipotentis digitum venerabundus si detegam: Illud autem ex Te scire vellem nunc, an historiam *Cordis magni & Renum* calculosorum Tuis in serendam servare velis? quamvis non video quid obsit, quo minus uterque nostrum illis uti queat: nihilominus te infalutato quidquam facere nollem, ne invidiæ qualiscunque reus fiam. Mitto heic Dissertat. de nupero Cometâ, quam ubi per legeris cum Nobiliss. *Scretâ & Spleissio* Mathemat. Celebri, juxta officiosam salutem communicare poteris. Vale.

Dab. Bas. d. 18. Martii 1681.

EXERCITATIO XLIX.

*Aliud hortamentum ad describendos
Salmones, & edendas observationes.*

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

Lætor

Lætor tibi non displicere consilium meum. Sumtuosum vero licet videatur esse Salmonis scrutinium, tamen labore magno potius quam pecunia multa constabit. Etenim extra quæ alias abijciuntur à piscatoribus, gratis obtinere poteris, aut pretio vilissimo: caro pluris venit, & ipsa omnino examinanda cum ossibus & spinis, ne quid intactum relinquatur quod è re esse videtur. Tanti vero expensæ non futuræ sunt, ut absterreri te propterea deceat, volentem & oblectamento suo & expectationi nostræ & curiositati denique ac utilitati omnium perlitare. Vin plura consulam ad laboris facilitatem & sumtum tolerantiam? Imitare cochleas, & festina lente. Quin libertatem tibi sume, quam indulgebunt æquanimi omnes, scribendi pro lubitu: hoc est tum cum otium suppetit. Suppetit autem nonnunquam vel occupatissimis, & male sibi consulunt qui alienis negotiis ita se obrui patiuntur, ut rebus suis nusquam vacare possint. Deinde non uni æstati te alliga, neu anno, ne pensi magnitudine vincatur deijciaturve animus, antequam exsurgat opus: sed plusculos annos huic præfige, persuasus operam tanto fore meliorem quanto plus temporis ei impenditur; nec enim uno est condita Roma die. Præterea in singulis salmonibus unica vice non omnes partes intentius perscrutari juvabit, ne ex multiplici earum varietate confundaris & oblectationis loco.

comod.

co molestiam ipse tibi crees ; sed hoc tempore particulam unam alio aliam attente perlustra, donec paulatim universas perspectas & exploratas habeas. Interea dum hæc paras facillimum tibi erit alia quoque utilia & curiosa edere, quippe observationibus propriis affluenti, quas è loculis undique depromtas nullo prope negotio conjunges. Integrum tibi est per me, non tantum historiam de corde magno & renibus calculosis ad id operis adhibere, sed etiam alias observationes omnes ac experimenta quorum me subinde participem fecisti in tuis literis, præterquam particularia illa observata tua de glandulis intestinorum: ea enim cum meis prælo jam aptavi, nec libenter omitterem aut delerem, quia multum roboris exercitationi meæ addunt. Igitur sicubi in tuis scriptis glandularum intestinorum mentio tibi facienda est, lectorem ad parerga mea anatomica & medica remitte, ubi tuis verbis pleraque consignavi: dico pleraque, nam quæ de tarda mecum communicavisti, cum serius accesserint, obiter tantum attingo, tibi que ea plenius describendi potestatem inter tua relinquo. Deinde è magna epistola, quam VII. Februarii M. DC. LXXX. Bernam ad me perscripsisti, potissima duntaxat excerpti, quædam etiam mitigavi, quod tibi non displiciturum reor. Vale.

Dabam Scaphusie d. 22. Martii 1681.

S

Ex-

EXERCITATIO XLIX.

*Gallina calculosa Rene sinistro ca-
rens. Lien duplex. Libri Curiosi
editi.*

JOH. CONRADO PEIERO
JOH. JACOBUS HARDERUS S.P.D.

Fervet amor mutuus, quem excuscor, & fraterna consilia, affectum Tuum subinde viva incrementa capere mihi ostendunt: Utinam in mutuos propediem liceret ire amplexus? quò de singulis coram plura confabulari possimus: Cùm observationibus eequidem, quorum Te aliosque participes non immeritò feci, ita agam, ut nec de meâ fidelitate conquerendi ansam fitis habituri, nec me laboris imsumpti poenitere queat: Haud ita pridem, *Gallinam* quæ subito corruit, pinguem satis cultro subjeci, cujus interiora omnia quasi pelliculâ gypseâ obtecta erant: Ren sinister deerat, protuberabat hujus loco ureter maximus fero viscido & coagulato perquam distentus, cujus medio circiter arcu adhærebat calculus fabæ minoris figurâ & magnitudine: E' rene dextro calculos exemi tres non sine admiratione: Vesicula biliaria matetiâ fabulosâ itidem erat referta & Lien subventriculo delitescens ovalis figuræ, sanguine turguit: Majori certè meditatione dignum arbitror, non tam quî calculi succre-

creverint, cùm notum sit serum falsum ac tartareum si quod cumulant, ad renes pariter deferri, ac per ductus convenientes in ureteres secerni posse, quàm *Renis* sinistri inopiam quî volatile hoc incurrit: Nec minùs animum experiundi zelo ferventem refecit *lien* duplex, quem nuper in cadavere puellæ decennis reperi, & ad stantibus monstravi, cum pulmonibus calculosis aliisque: Planè confido, ubi paria ulterius facere poterimus, nos hecatomben observationum facili negotio consecuturos: Facere heic non possum, quin Tibi laudem industriam Curiosorum nostrorum, quam Anni IX. & X. Ephemerid. editione, literato orbi testatam rursus fecerunt: Continentur in illo splendidiss. *Helianthi* nostr. *Volckameri* meletemata elegantissima, de viis è ventriculo in omentum & abhinc ad renes, quas ille ratiociniis satis prægnantibus, multâ cum probabilitate ad esse concludit: Prodierunt etiam *Welschij* Decades X. Observ. & Curat. Medicinal. Observat. item *Phys. Medic. Helvvigij*, Excellentiss. *Schrækij* Fil. Scholiis utilissimis illustratæ: *Mathiæ* quoque *Tilingii* *Zephyri* Societat. nost. suavissimi scrutinium *Cinnabaris* Curiosum prælum tandem evasit: ô utinam existent multi, qui hujuscemodi virorum felici ac laudabili exemplo, ad paria tentandum instigentur, naturæque abyssos profundâ meditatione ac diligentia *Φιλομαθεσι* patefaciant!

cimeliis pol præstantissimis Medicina nostra
sic locupletaretur. Vale.

Dab. Bas. d. 15. April. 1681.

EXERCITATIO L.

Judicium de Tralliani Specimine.

*Gallina calculosa. Lien duplex. Mors è co-
mestis colchici seminibus.*

JOH. JACOBO HARDERO

JOH. CONRADUS PEIERUS S.P.D.

TRalliani specimine tuo potitus sum. Non
ausim improbare laborem tuum, quan-
quam ignorem adhuc quid de eo sentiat ex-
cellentissimus Wepferus. Ages tu sane pro-
lubitu: neque enim facile tibi suaderem ut ab
opere cœpto desisteres, nec tamen autor esse
vellem ut tanto labori hac ætate te immerge-
res. Breviores notæ in subsequentibus suffi-
cere possent, nec nisi iis rebus adhibitæ quæ
sine notis difficulter intelligerentur. Scholia
enim luxuriantia quis amet? Prævalet ner-
vosa brevitatis. Cæterum nunc gallinæ mirum
fatum mihi narras & curiositate tua dignum.
Proclive tamen est calculos innasce animalibus
glaream è trivio devorantibus. Forte ren
sinister calculosa materia obsessus tandemque
degenerans abiit in fecem, ac instar gypsi a-
qua temperati postea diffluit. Inde jam in-
teranea omnia obduci aut incrustari potuisse
intelligitur. Cæterum in renibus gallinarum
alia.

aliarumque id genus volucrum præter serum quod lotium constituit, separatur etiam materia quædam gypso vel calci dilutæ similis, è qua putamina ovorum similiter constare mihi videntur: quanquam haut ignorem gallo- rum renes ejusmodi crassamentum lapide- scens itidem secernere, quibus tamen ad te- stas ovorum formandas eo non est opus. Fieri itaque potuit ut materies illa restagnans re- nem corrumperet, ac postea exundans vici- nas partes inficeret. Præterea raram histo- riam mihi commemoras de liene duplici, pro qua gratias tibi magnas ago. Memini me inter- dum vidisse divisos lienes, ita ut alter alte- rius appendix esse videretur, & quandoque et- iam media linea quasi sulcatus. Ne autem ni- hil reponam tuis beneficiis hanc narrationem colophonis loco accipe. Vinitoris cujusdam nostratis infantes tres comestis in prato imma- turis & succo dulci plenis colchici seminibus nuper misere interierunt, præcedente vomitu, diarrhœa, palpitatione cordis, singultu, tandemque convulsionibus. Parentum per- vicacia nos dissectione prohibuit. Excellen- tissimi Volkameri cogitationes de omento hortatu tuo nuper legi. Utinam vero cana- les illi & viæ è ventriculo ad omentum & hinc ad renes aliquando ita illustres fiant, ut etiam nobis conspiciantur, novorum istorum alio- rumque id genus curiosorum præcupidis, nec parum (quod opinor) oculatis; quin spera-

re ausim si sint in rerum natura, meatus istos singulares etiam mihi olim esse apparituros. Sed manum de tabula. Cura ut valeas.

Dab. Scaphusia d. 22. Junii 1681.

EXERCITATIO. L.

Duplex Lien. Intestini ilei gangrenosis. Sanguis grumosu, in auriculâ & ventriculo cordis dextris. Coagulum in febris malignis.

Quid de *Tralliano* ego senserim, olim exposui: Operæ nihilominus me non subducam, quam nec festinam cupio, usque dum quid alii de illâ judicent, rescivero: Author est lectione dignus & illustratione, cui autem humeros meos pares credidissem nunquam, nî *Ampliss. Wepferi* paræneticæ aliquoties ad volâssent: Tute quantum laboris & temporis requiratur, optimè nosti, sin aliter qualemcunque gloriam exinde mihi nasci desiderem. Ab initio prolixiori esse oportuit, ut in subsequētib; amicæ brevitati, quam Tecum adamo, eò meliùs studere liceret; potero etiam hic illic, quod superfluum videbitur in posterum omittere vel rescindere: Sed ad *puellam* quam duplici *liene* dotatam fuisse ultimæ nuntiârunt: Lienem findi, variosque sulcos pati interdum, nostrâ quoque comperitum habemus experiētiâ; duplicem autem hæc-

hactenus non vidi, neque enim *hic*, qui orbicularis erat figuræ, vasisque peculiaribus donabatur, *illius* qui figuram cœtera & magnitudinem naturalem obrinuit, fuit appendix, utpote à quo unciis aliquòt distabat, aliter planè figuratus: Sunt & alia notatu digna, quæ cadaver idem exhibuit, suo tempore Philiatris communicanda: Hæc ipsâ septimanâ rursus bina Virginum cadavera secui, in quorum uno intestinum ileon gangrænatum, septiesque perforatum reperimus; in altero vero auriculam cum ventriculo cordis dextram sanguine grumoso refertissimam deprehendimus: Utrum de mortua hæc febris malignâ, quam ex symptomatibus equidem non citra rationem adfuisse suspicamur, diem suum obierit, certò dicere non ausim, licet probè sciam, malignitatis genium coagulo, quod oppressiones & anxietates circa præcordia immensas parere consuevit, complurimis prodi, qui hinc ad acidi acris correctionem & deturbationem studiose medicamentis sunt attentissimi: cœterorum quoque Viscerum proba *Alge-
theis*, imò maximè laudabilis, ut huic sententiæ calculum addam, ferè evincit: Fuit quidem hæc una ex filiabus Veneficæ illius, quam igni cremari divina voluit Nemesis: ast venenum illi porrectum aut ab ipsâ epotatum fuisse non constat; quin suppositis omnibus, minùs credibile videtur, ejus ferociam tam diu in ventre misellæ, citra aliorum

visce-

viscerum labem, ligatam quasi delituisse; constet enim quamvis, adeò artificiosè nefarium quoddam genus hominum venena præparare didicisse, ut nonnisi lentâ morte consumerent plures, hæc ipsa tamen *fluidum* sensim corrupisse, partesque secretionibus consuetis legitimè obeundis ineptas reddere potuisse, à me indubium amplius non vocatur. Vale cum tuis omnibus.

Dab. Bas. d. 8. Julii 1681.

F I N I S.



①

Anat A 406

